






2
6
134











ALBERICI GENTILIS

J.C. Professoris REGII,

REGALES

Disputationes tres:


Id est,

De potestate REGIS absoluta.
De vnione REGNORVM Britanniæ.
De vi ciuium in REGEM semper iniusta.

Nunc primùm in lucem editæ.



LONDINI
Apud Thomam Vautrollerium,
M D C V.



Domino noſtro Regi,

IACOBO REGI

MAGNÆ BRITANNIÆ,

FRANCIÆ, HIBERNIÆ, &c.

FIDEI DEFENSORI.

Principi


NOBILISS. POTENTISS. SAPIENTISS.

FORTISS. OPT.

AVGVSTISSIMO.

D. N. M. Q. E.

ROBERTVS ALBERICI F. GENTILIS.





DE POTESTATE REGIS ABSOLVTA,

Ad l.1. de const. princip.

DISPVTATIO I.



QVOD PRINCIPI PLACVIT, LEGIS HABET VIGOREM. VT POTE CVM LEGE REGIA, QVÆ DE EIVS IMPERIO LATA EST, POPVLVS EI ET IN EVM OMNE SVVM IMPERIVM ET POTESTATEM CONFERAT, &c.]

Inquit lex, QVOD. ſcilicet vt lex eſſet, vt ad legem hanc notant Bartolus, ac Iaſon: & Accurſius ad ſecundum titulum Inſtitutionum. Ne ſimilem argutiolæ Hotomani hîc nos venemur: [a] qui ſcribit, quod ſi ea, quę nobis cum brutis communia ſunt, iuris naturalis nomine cõplectamur, ex definitione illius iuris, quod ſit, omnia quod animalia docet natura, ius eſſet cibum capere, bibere, dormire, currere, & quæ ſunt in eodem genere. [b] Atque ego alibi his iocis reſpondi.

[a] Hot. tit. 2. Inſt.

[b] Alb. 3. lect. 1.

Inquit lex, PRINCIPI. & intelligit de Romano: vel propter excellentiam: vel, quia ciuitatis Romanæ iura in libris iſtis tractantur: vel, quia Romanus eſt,

[c Inst. d. tit. 2.] qui loquitur. [c] Quum ius ciuile dicitur in his libris: nec additur nomen, cuius sit ciuitatis, ciuile Romanum significatur. Sicuti quum Poëtam dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Grecos egregius Homerus, apud nos Virgilius. Quod proculdubio [d Paterc. lib. 1.] ab excellentia vtriusq; est. [d] *Homerus solus appellari Poeta meruit*, inquit quidã[e]. [e Sen. ep. 59.] Sed Seneca in distinctione illa subtili ei⁹, quod est; EST, inquit, *quod eminet. Sic Poëta apud Græcos Homerus*. [f Gal. quod ani. mo.] Et sic de Homero alii quoq;. [f] Et Galenus, quod sic nomine poetriæ Sappho apud Græcos significatur: vt leo nomine feræ, alia id genus per excellentiam intelligãtur[g]. [g Str. lib. 1. Quin. 8. c. 5.] Et Strabo, quod Põtus sic. & Quintilian. quod Roma sic. & Steph. quod sic Athenæ. [h Manut. de legi.] [h] Meritò autem censeas excellentissimum ius Romanum, quod excellentissimum dicit Polybius, & ego ostendi aliquãdo in oratione De laudibus eius. *Apud Græcos Homerus, apud nos Virgilius.* Sic attenditur, apud quos loquamur. Ergo, & in quibus libris loquamur. Ergo de principe Rom. verbum legis nostræ accipimus, quod ad Romanos est dictum, in libris legum Romanarum. *Apud nos*, inquit Iustinianus, qui Græcus erat, & in Græcia: intelligit autem de Latinis: quia in [i Mag. 1. misc. 8.] sermone Latino loquitur. [i] vt in Miscellaneis explicat eruditissimus Magius. [k Virg. Æn. 8.] [k] Etiam Euander, *à quo post Itali fluuium cognomine Tybrim diximus*. [l Alc. lib. 1. de de V. S.] [l] Attenditur & persona loquentis. atq; ita si rex Anglorũ mãdet fieri, aliquid secundùm ius intellixisse de suo Anglico censebitur.

Et

Et tamen ſi ciuilis legis aut rex ipſe aut alius hîc in Anglia meminerit, de ciuili Romana, etiã canonica capietur. Sed hoc, quoniam vſu ita inualuit, & eſt receptum, vt illud verbum ita intelligeretur, non de Anglicana: quæ alio nomine inſignitur legis cõmunis, aut lex ſimpliciter appellatur. [m] Ius ciuile etiã variè pro qualibet ipſiuſmet ſpecie capit᷑ apud nos. [n] & apud Ariſtotelẽ notãter etiã de naturali, τοῦ δὲ πολιτικοῦ δικαίου, τὸ μὲν, φυσικόν ἐστι, τὸ δὲ, νομικόν, &c. pro omni iure, quo vtimur in republica. Per quas duas rationes defendebam Angli viri Theologi ſermonem, in quo viſus ille nominare de iure ciuili nonnihil, quod eſt de canonico. Sed quilibet poteſt dicere ciuile, quod non eſt naturale, & quod eſt in ciuitate. Et Anglus (vt dixi) nomine ciuilis indigitat etiam canonicum. At ad rem propiùs tamen. Sic igitur & de Romano principe intelligimus illud noſtrorum librorum, [o] *Princeps legibus ſolutus eſt.* Sic alia in his libris. Cæterum interpretes omnes abſq; vlla aptant difficultate hæc principibus omnibus ſupremis: & nos apta cenſemus ſanè. Sed hîc quæſtio incurrit ſtatim, qui iſti ſint, & quales ſupremi principes. Nam ridiculus mihi Baldus hîc eſt, & alii alibi ridiculi, tradendo communiter duos tantùm eſſe ſupremos, papam, & imperatorem. [p] imò plenitudinẽ poteſtatis eſſe in ſolo papa, ſemiplenam in aliis. Et illa diſputatio eſt vaniſſima de imperatore domino totius mundi: & de principibus reliquis, qui imperatori per ius ſubſint, etſi de facto non ſubſint.

[m] *l. 2. de orig. iu.*

[n] *Ariſt. 5. Eth. 5. vbi Riccob.*

[o] *l. 31. de leg.*

[p] *Petra de po. pri. c. 3. q. 4.*

q Kirchn. lib. 1. legat. in fin. Nullibi ego, ornatissime Hermanne, hoc scripsi, aut rescripsi, regnum Fracicum, aut aliud Romano subesse imperio.[r] Ego in libris De iure belli hæc loquor: r Alb. 1. de iu. bell. 23. *Illa quæstio est* NIHILI, *si Romanus imperator possit orbis vniuersi sibi vindicare imperium. Quicquid nostri* NVGENTVR *interpretes. Nam contra alios disputat latè, &* BENE *Didacus Couarruuias: & cōcludit, quod imperator nō agit, nisi ad ea, quæ olim fuerunt imperii: & falsum esse, quod ille sit dominus totius orbis. Nos diximus, quod nec ad ea aget, quæ ante secula fuerunt imperii.* [s] Eandem verò sententiam secutus eram in libris De legationibus. s Alb. 1. de legat. 4. vbi de rege Gallo, & rege Hispano dubitaui, an essent supremi principes: qui in re diuina, & in causa Religionis constituenda superiorem sibi pontificem tenent pontificiq; subiecti viuunt. Quod est proculdubio contra ius supremitatis: quæ custos sub vno tantùm Deo, & assertrix primæ etiā est tabulæ. Felices principes, verè principes, qui nulla vel tantilla in re agnoscunt iurisdictionem peregrinam. nullos ciues suos habent, qui tantilla in re venerentur iurisdictionem peregrinam, siue temporalem, siue spiritualem. Alii non sunt principes supremi: imò nec principes, ante quos alii capiunt locum primum. Supremi sunt, quibus est nullus supra: sed ipsi sunt supra omnes in omnibus. Quod & de rebuspublicis supremis dictum sit, quicquid in vna Romana ineptiant quoque interpretes.[t] vt monui in iisdem libris De iure belli. t Alb. 1. de bell. 3. Atque in his hæsitare non oportet. Illic hæsitetur, dum quæritur, isti supremi quales sint.[u] In qua quæstione u Bod. 1. de rep. 8.

bonam

bonam profectò operam, & benè longam nauauit Bodinus. Ille est huic absolutè supremus, qui nihil supra se, nisi Deum agnoscit: nec cuiquam reddere rationem, nisi Deo, habet. Supremitas (inquit) est potestas absoluta, & perpetua: quam Latini maiestatem, Græci ἄκραν ἐξουσίαν, & κυρίαν ἀρχὴν, & κύριον πολίτευμα, Ebræi etiā nomine, quo significent maiorem imperandi potestatem. Si non sit perpetua, non est supremitas, at tantùm supremitatis custodia ad tempus, siue ad certum tempus: vt Romæ fuit dictatura ex optima lege. siue sit illa ad tempus incertum, id est ad beneplacitum dantis: quod minus adhuc est, quàm ad tempus certum. Et vterq; tamen tenet de alieno: cùm princeps teneat de suo. Etiam si ad vitam data supremitas est alicui, adhuc potest is non esse princeps supremus. Tyrannis fuit Syllæ dictatura, in annos tributa septuaginta: Cæsaris perpetua. Etiam in qualitate magistratus tributa, puta legato alicui principis, supremitas illa principalis non est, quam quærimus. quia semper & infra principem ille legatus est. Et hoc igitur supremitatis est, vt nihil supra se vmquam cernat principatus, neque hominem, neque legem. Ergo & absoluta hæc potestas est, & absque limitibus. *Princeps legibus solutus est*. ait lex [x]. & eadem, quod lex est, *quodcunque* placet principi. Et hæc lex non barbara, sed Romana est: id est præstantissima in legibus hominum. Ea autem potestas pro certo est, quam [y] Aristoteles quin-

[x] *Inst. d. tit. 2.*

[y] *Arist. 3. Polit.*

ctā regni ſpeciem dicit, ὅταν ᾖ πάντων κύριος εἷς ὤν. quinctā regni ſpeciem aut alterā potius. σχεδὸν γὰρ δύο ἐστὶν, ὡς εἰπεῖν, εἴδη βασιλείας, περὶ ὧν σκεπτέον. αὕτη τε, καὶ ἡ Λακωνική. τῶν γὰρ ἄλλων καὶ
[z] Ariſt.3.Pol. 10. πολλαὶ μεταξὺ τούτων εἰσίν. [z] ἡ γὰρ ἐν τῇ Λακωνικῇ πολιτείᾳ δοκεῖ εἶναι βασιλεία μάλιστα τῶν κατὰ νόμον. οὐκ ἔστι δὲ κυρία πάντων. Duas facit ſummas ſpecies: vnam, quæ ligata legibus eſt: alteram, quæ legibus ſoluta eſt. Legibus erant alligati (vt
[a] Diod.lib.2 audis) reges Laconici.[a] Sed Ægyptii maximè: quibus & ambulandi, & lauandi, & cum vxore cubandi poſitæ olim erant leges. quique etiam accuſari poterāt mortui, & conuicti condemnari, nec ſepeliri. Quæ recitat Diodorus. & qui, quod aliis regibus voluntas pro lege eſſet. illi nec nominandi reges, quibus niſi
[b] Tac.ann.4. ex libidine parere ſoliti ciues.[b] vt reges alicubi tales memorātur. in aliis regib. eſt princeps noſter: quem legibus ſolutum audimus. quod eſt poteſtatis ſolutę,
[c] Vaſq.1.ill. 26. vel (vt loquimur) abſolutæ.[c] Atque abſoluta pote-
[d] Omph.2.de pot.Princ.2. ſtas eſt plenitudo poteſtatis.[d] Eſt arbitrii plenitudo, nulli vel neceſſitati, vel iuris publici regulis ſubiecta.
[e] Rip.rub.de conſt. quod ex Baldo acceptum dicunt alii.[e] eſt poteſtas extraordinaria, & libera. eſt illa, quam in Anglia ſignificamus nomine (vt ego quidem exiſtimo) *regiæ PRÆ-*
[f] Decia.2. conſ.41. *ROGATIVÆ.*[f] Atque ſic interpretes iuris communiter ſcribunt, eſſe in principe poteſtatem duplicem, ordinariām adſtrictam legibus, & alteram extraordinariam, legibus abſolutam. Atque abſolutam definiunt, ſecūdum quam poteſt ille tollere ius alienum, etiam m[illegible]ıum, etiam ſine cauſſa. Et verò ſic ſit, ſi

idem

idẽ πάντων κύριος εἷς ὤν. [g] Ius dominationis (inquit frater [g] *Scip. de pri. Rom.*
meus) definimus, vt ſit ſuperior quędam ratio, atque
ius, derogans alicui iuri vſitato, atque communi.
Atque de hac abſoluta poteſtate ſic plura ſunt apud
noſtros. [h] Quod abſoluta poteſtas eſt in princi- [h] *Soc. l. im-perium.*
pe. & ideo liberum eiuſdem perſonæ conuenit arbi-
trium. quod in principe eſt ſedes libertatis. [i] quod de [i] *Bal. Ang. Iaſon hic.*
plenitudine poteſtatis non licet diſputare. quod de
plenitudine poteſtatis facienti nemo dicit, *Cur ita facis?*
ſcilicet ſit tum voluntas pro ratione, &c. [k] Et de prin- [k] *Bol. Conſ. 6*
cipe temporali ſic docent optimè. quicquid de ſe ſpi-
rituali protulerit papa peſſimè: quod in ſpirituali eſt
Dei ſolius. [l] Princeps eſt Deus in terris. eius poteſtas [l] *Fulg. Conſ. 144.*
maior eſt, quàm quę olim fuit patris in filium, domi-
ni in ſeruum. Et princeps dicitur, & eſt dominus. Eſt
dominus poteſtate: [m] non vt alii domini appellantur [m] *Sym. ep. no.*
gratia honoris, amoris, vrbanitatis. [n] Dominæ vocã- [n] *Iaſ. l. 11. de leg. 1.*
tur mulieres, quibus viri blandiuntur. vt dicebat E-
pictetus. Vnde & ipſæ ſe ſic vocant. quod legis apud
Ouidium in epiſtola Laodameiæ ad maritum Prote-
ſilaum. & tamen vxores ita vocari à viris nõ debent.
[o] imò enim illæ ſubſunt maritis: & dominos eos vo- [o] *1. Petri 3.*
cant. Niſi & hac ratione tuearis mulieribus iſtam ap-
pellationem, quod vaſi infirmiori tribuendus ſit ho-
nor. Audi. [p] Mulier viro in Ægypto dominari dici- [p] *Diod. l. 1.*
tur, profitentibus in dotis confectione viris omnib9,
eſſe vxoris arbitrio parendum. Vrbanitatis verò &

moris gratia ſalutamus, reſalutamus quoſuis iſto nomine. *Quomodo obuios, ſi quando nomen non ſuccurrit, dominos ſalutamus*, ſcribit Seneca in epiſtolis.[q] & Martialis, *Cum voco te dominum, nolo tibi, Cinna, placere. Sæpe etiam ſeruũ ſic reſaluto meum.* Ceterùm in principe nomen eſt poteſtatis, & huius quidem, quam plenam dicimus, & abſolutam. [r]Itaque qui primi fuerunt Romæ principes, etſi poterant videri re vera domini, vitabant valde tamen domini nomen, veluti cõtumeliam, ac maledictum: non vitaturi, ſi eſſet nomen ſolius honoris, aut moderatæ poteſtatis. Auguſtus, ne à liberis quidem ſuis ſe ſic appellari paſſus.[s] Etiam, ſi principatus, & libertas res ſunt diſſociabiles: magis erunt diſſociabiles libertas, & dominatio. hæc enim duo dicũtur à Plinio diuerſa per naturam. vt recitat frater meus cum illo Ouidii de Auguſto ad Romulum, *Tu domini nomen, principis ille tenet.* Et ſic alia multa ſunt. [t]Imperator pro poteſtate agit omnia, nemine audente, aut valente rationem ab eo repetere. vt etiam ſic habent ſcriptores priorum temporum. Sed (vt dico) & alia ſic: quæ & mox affero. Attuli alia in diſputatione ſcholaſtica huius argumenti de principis poteſtate in res ſingulorum. Neque omnia illic fucata ſunt. [u] Vt iraſcatur nimiũ Balduinus, dum ait, nimis eſſe putidum, quod fatui interpretes, qui, iuriſprudẽtiam eſſe artem gnathonicam, putant, rancidam ſuam cantilenam, *Omnia eſſe imperatoris*, repetunt ex lege Iuſtiniani in titulo Codicis

q Mart. 5. 58.
r Suet. Aug. 53. Tyb. 27.
s Tac. Agric.
t Phil. de leg.
u Baldu. Inſt. 2.

dicis *de quadriennii præscriptione.* Addit, & scire se, quid ex Seneca, quid ex Ambrosio quoque proferrent: fatuis tamen hominibus se non tribuere tantum, vt eorum caussa ad illam disputationem excurreret. Benè tibi sit, Balduine. [x] Cuiacius tamen his omnibus, & Hotomanus respondent. Ad legem Iustiniani, quod loquatur in fiscalibus, & patrimonialibus principis. Et hoc post videbimus. Nunc, quod non benè respõdent ad Senecam, & Ambrosium. Senecæ, de iure ciuili dicenti, omnia regis esse, etiam quæ sibi quisque priuatus habet, & possidet, respondent de eodem Seneca, itidem dicente, regẽ imperio possidere omnia, singulos autem dominio. Atque addit Cuiacius, itaque regem non esse dominum: quia dominium esse in solidum non possit duorum. Et responsioni ego respondeo, non posse idem dominium sanè esse apud duos in solidum, sed diuersum posse: directum, & vtile: imperiale, & priuatum: vniuersale, & particulare. Sic Hotomanus ipse, regis esse omnia, vt vniuersa, non vt singula. [y] & ipse Seneca, quod ad reges potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas. ad reges pertinet vniuersa possessio eorum, quæ in singulos dominos descripta sunt, quæque habent singula possessorem suum. *Aliter reipublicæ sunt agri, aliter priuatorum. Num quid dubium est, quin seruus cum peculio domini sit? Dat tamen domino suo munus. Non enim ideo nihil habet seruus, quia nihil est habiturus, si dominus, illum habere noluerit.* Sic illi non

[x] *Cuia 15. obs. 30. Hott. ill. 1.*

[y] *Sen. 7. de ben.*

respōdent Senecæ. Et quod idē scribat Hotomanus, responderi potuisse ab Ambrosio commodiùs cōtra imperatorem sic de templo, & rebus sacris: Imò etiā est vanius. [z] Siquidē templorum, & reliquorum eiusmodi omnium dominus pro certo est imperator. vt ostendi in libris De iure belli. Certissimè corū est administrator, & arbiter magis, quàm vllus Episcopus. Et quod Hotomanus affert, sancta ista dominio esse subiecta nullius: id verum quidē est, nullius priuati. at dominio, siue administrationi liberæ sunt subiecta principis, sicut & alia publica, [a] quorum pars sunt hæc quoque sacra. Bodinus porrò inquit, quod principes domini omnium sunt iure dominationis supremę. Et id est, quod nos dicimus, extraordinaria illa potestate. Atque de isto rerum dominio in scholastica disputatione illa. Generaliter verò ad potestatem hanc principis, quam absolutam contēdimus, addēdum est, hoc ita à nobis proponi, his qui simpliciter, & plenariè subditi sunt: non autem his, qui venissent in deditionē certis fœderibus, vt quia reseruassent sibi suas leges, & priuilegia. [b] nam isti quantum ad plenitudinem potestatis, non dicuntur subditi. quod post alios declarat Alciatus. & de his non subditis tradit exemplum in ciuitatibus Germaniæ imperialibus, & in parte maiore pontificiæ Italicæ ditionis. Nos notare exemplū in prouinciis Germaniæ inferioris libenter solemus: quæ iam annos plurimos

z *Alb. 3. de iu. bel. 6.*

a *l. 1. de iust.*

b *Alc. 4. cons. & 3 præs. 8.*

plurimos pugnant ſua pro libertate contra illam plenitudinem poteſtatis.[c] Pro qua libertate aduersùs eandem dominationem, & aduersùs eandem domum Auſtriacam pugnarunt Heluetii itidem diu, ac feliciter. Nam nos, imperii pontificii homines, ſerui facti ſumus ſeruo ſeruorũ. Dormit autem, ille olim Italiæ Brutus, Aſculum nobile: quo principe populi Italici non in diſſimili cauſa induerunt arma contra Romanos. Magiſtratus nec habent vlli iſtam plenitudinẽ poteſtatis. etſi illis aliquãdo populus poteſtatẽ mandet abſolutam. hoc enim in qualitate magiſtratus intelligitur, vt dicebam[d]. &, quod ordines vnitarum prouinciarum Belgii reſponderunt aliquando, additum ſit, diſtinguendi, diſcernendique cauſa magiſtratum iſtum ab iis, qui obligantur certis mandatis: vtque maior inde compararetur obedientia, ac reuerentia ad faciliorem rerum executionem: non vt ſummum imperium prorſus contraderetur.[e] Iſti illi ſunt, quibus leges, & Philoſophi permittunt non iudicare ſecundùm iura, at ſecundùm propriam mentem. Verùm nunc tandem audiamus, quid nonnulli contra noſtra ſupradicta de vi poteſtatis principis abſolutæ ferant[f]. Vaſquius contrà diſputat, & fatetur tamen illa recepta communiter.[g] Alciatus maledicit: & quod geſta per clauſulam ſupremę poteſtatis, non per viam iuſtitię, ſed quia ſic placuit principi, & nemo potuit dicere

c Sim. de rep. Helu.

d Demetr. lib 13.

e l. 12. vbi gl. & Auth. hodie. C. de iud. Ariſt. 2. Pol.

f Vaſq. 1. ill. 5. & 15.

g Alc. d. cõſ. 5

illi, *Cur ita facis?* nihil ſit aliud, quàm violentia, quæ vocabulo honeſtiore à doctoribus appelletur poteſtas
h *Alc.l.* 111. *de V.S.* ſuprema.[h] Alibi etiam ſtomachatur, quod vbique laqueos tendant ſatrapę, hallucinentur theologi, adulentur iuriſconſulti, atque perſuadeant, omnia principibus licere, ſummamque eorum, & liberam eſſe poteſtatem. & in eandem ſententiam alii non-
i *Vaſq.1.ill.1.* nulli. Nunc tamen argumententur.[i] Vaſquius, quod omnes omnino principatus ſint ob publicam ciuiũ vtilitatem, non ipſorum regnantium. De quo ſibi fundamento conſtituto conſtruit plurima, deſtruit plurima, quęſtiones (quod gloriatur) conficit quamplurimas Hiſpanus. Attamen fundamentum falſum eſt in principatibus, qui ſunt per vim parti. & neque verum in totum eſt in aliis, qui per populos inducti
k *Diod.lib.2.* ſunt.[k] immo enim & honor principibus, qui eligebantur, debitus virtutibus ipſorum tribuebatur. Platonicæ reipublicæ cuſtodes ſunt iſti, quos Vaſquius cũ fundamento hoc ſuo ſibi imaginatur, nobis principes fingit: quorumque tenere locum nemo velit. Aut num ineptimus, & putamus, reges noſtros eſſe
l *Ariſt.3.Pol.* 4. veluti medicos[l], quorum eſt imperium gratia illorũ tantùm, qui ſub ipſorum ſunt manu medica? Et quid ſi tamen ſola ſubditorum vtilitate ſint omnes omninò ordinati principatus? Ergo plenitudo poteſtatis nõ eſt? Negatur hęc negatio. quoniam ad vtilitatem ſubditorũ etiam pertinet, vt ea poteſtas principi ſit.
quod

quod & ad aliud argumentū dicam.[m] Secundum au- *m Reueille-*
tem nunc est argumentum, quod ea potestas solius *matin, dial. 2. Hot. ill.*
Dei sit, alteri non communicabilis. Cui nos itidem *q. 1.*
argumento respondemus, non fieri principem Deo
parem ab illa, quam asserimus principi, potestate ab-
soluta. Nam adhuc est princeps sub Deo, & legibus
Dei tenetur. Ad ciues dicimus potestatem principis
absolutam. Deus simpliciter absolutæ potestatis, nec
vllis aut suis, aut naturæ, aut gentium obstrictus legi-
bus. Princeps secundum quid absolutus: nec absolu-
tus legibus Dei, naturæ, gentium. [n]Princeps, inquit *n Bal. 4. cōs. 269.*
Baldus, supra ius, scilicet ciuile: infra ius, scilicet natu-
rale, & gentium. Non supra diuinum ius: vt idem scri-
bit hîc, & Bartolus, & Angelus. Ligatur princeps &
lege contractus: vt hîc idem, & Iason. [o] Et ego de o- *o Alb. 1. de*
mnibus tradidi ante hoc tempus non vno loco. Quæ *iu. bel. 16 & 23. & lib. 3.*
tradita & sic sunt accipienda cum ista communi di- *c. 15.*
stinctione, vt sit princeps infra leges alias, supra sit ci-
uiles. Et qui etiam dicat tamen[p], *Licèt seruiant ædes meæ: ei* *p l. 4. si ser. vind.*
tamen, cum quo agitur, non seruiunt. quantum enim ad eum pertinet, li-
beras ædes habeo. quod veluti prouerbiale est inter nos
carmē.[q] Sūt feudatarii principes ad subditos absoluti *q Ceph. cons.*
principes: & iidē ad dominos. feudorū nō sunt abso- *539. Petra de po pr. c. 3.*
luti. Atque sanè sunt omnes principes tanquam feu- *r c. 39. 23.*
datarii Deo.[r] Cui reddere rationem de imperio suo *q 4. Chass. c. cat. 14.*
debent, quem vnum habent iudicem, *&c.* Sed de ci-
uilibus hominum legibus quęstio est nostra. Et ita ad

argumentum secundum. Profertur tertium, quod nõ reperiatur vsquam populus adeò amens, qui tantam vmquam detulerit principi potestatẽ. imò populus semper posuerit aliquas principibus leges, quas vltra eis progredi non liceret. Quod itidem est argumentũ falsum. vt antea ostensum de Aristotele est. Cui adde Bodinũ peritissimum[s], qui hodieq; dominatus in Asia, Africa, Europa ostẽdit, sicut dominorũ in seruos. Doctus princeps contendit, & talem fuisse regẽ Ebręorum. de quo audit scil. illa,[t] *Hæc erit ratio ipsa regis, q̃ regnabit sup vos. Filios vestros accipiet*, &c. in primo Samuelis. Huic tamẽ exemplo replicauerint alii, de tyranno ea scribi, non autẽ de iusto rege.[u] Et ita etiam Bartolus noster de Sanctis (vt ipse ait) doctoribus. Et quod de bono, ac recto rege traditũ sit aliter in lege,[x] quę per Moysen allata est: & à qua Samuel non dissensisset.[y] Etiam legimus, quod Samuel postea sistit regem coram Israële: & ius regni eloquitur, quod & in aliquo libro descripsit. q̃ non exstat liber. Sed verũ est tamen, nihil fuisse in eo diuersum à lege Moysis morali, hoc est, omnium & temporum, & populorũ. Quæ enim fuerint legis iudicialis, id est, peculiaria regni illius, ea nec fuit necesse seruare, nec ante dictæ rationi regis eadem fuisse suspiceris. Vt enim alia mittam,[z] quî tacuisset de ea ratione Rechabamus? huius seniores, & iuniores cõsiliarii omnes siluissent, quum Israël à duro iugo leuari se vellet, & conclamaret[a]? Quî Achabus, & Je-

zebela

s Bod. 2. de rep. 2.
t 1. Sam. 8.
u Bar. de reg. ciu.
x Deut. 17.
y 1. Sam. 10.
z 1. Reg. 12.
1. Reg. 21.

zebela(quod alii notant) magno pretio, maiori dolo, maxima infamia cupierint Nabothi vineam, quam per verba legis, *vineas vestras accipiet*, potuerunt habere? Si fuisset eiusmodi rex ille Ebræorum, rectè responsum argumento foret præsenti, quo negatur quemquam vllibi eiusmodi fuisse regem: etsi non esset etiā euictum, quod & eiusmodi esse alibi rex deberet: Quia iudicialis ea ratio sit. Nec tamen non video, cur secundùm propositum docti principis rationem eam non accipiamus, quæ subditos illos constrictos regi tenuerit. Ecce enim ipsi aiunt ad Samuelem, *Pone nobis regem, sicut omnes gentes.* Atque reges gentium tales erant proculdubio, quibus esset pro ratione voluntas[b]. Reges gentium barbararum tales dici cognouimus. & Ebræos ab omnibus habitos in barbarorum fuisse censu. Etiam (quod cōsiderat doctus princeps) adquiescit Israël rationi. Ergo fuerit Israëli rex sanè talis, qualem exprimit ratio, accipit rationis adprobatio: non talem, qualem Moyses ostendit, sed qualem Ebræi ipsi voluerint. Et ita defendi potest disputatio docti principis.[c] Atque noto, quemadmodū Fulgosius itidem noster cū docto principe tradit de potestate hac regis absoluta in priuatorū res per hūc locum Samuelis, *Hæc erit ratio regis*, &c. Quamquā docti principis disputatio illinc nō tā est ꝓ regnandi, quàm pro parendi iure. de quo parendi & nos disputationē cōfecimus. Et tu distingues sanè, vt sic lex Moysis

b *Plut. apoph. Diod. lib. 2.*

c *Fulg. d. 144.*

ſit ad regem, lex Samuelis ad populum. illa inſtruat regem, iſta populum. Et ſic reſponderis ad ea, quę cōtra tulimus de Rechabamo, & Achabo: quod de iure regnandi cum haberent dicere, ſiluerunt de iure parendi. Etiam ſiluerunt de ea ratione Samuelis, quia fortè nec ſit ſemper illi rationi locus, & in caſibus illorum regum non erat. Etiam, quod non omnia ſint relata in ſcripturam, quæ illis in quæſtionibus acta, dicta ſunt. vt id reſpondet Martyr in caſu cæſi Adoniæ. & is ſcripturæ mos eſt, pauculis perſtringere narrationes. Etiam intelligimus, nec tacuiſſe Rechabamum de ea ratione, qui vim minitatur, *Ego ſuperaddam iugo veſtro*, &c. Quod ſi legem non citat Samuelis: nec citauit Moyſis populus. Sunt porrò ad locum Samuelis aliæque interpretationes duæ. [d] Alia Melanchthonis, quę flectit, atq; mollit dura illa, & aſpera Samuelis ad tributa, ad alia onera realia, perſonalia, quib. reges onerant ſubditos ſolenniter, & iuſtè.[e] Eſt alia Lyrani: cuius noſtrique meminerunt: quod ea ſic ratio ſit pro tempore neceſſitatis. De quibus nunc verbum non addo. Satis namq; feci argumento, qui docui, abſque hoc quoque Ebræorum alios fuiſſe reges poteſtatis ſolutæ. Quamquam & imperfectum argumentum eſt: quod non de populis includit, qui vi capti, ac bello ſunt. & qui quidem pro victoris voluntate parere habent, non pro ſua ipſorum lege vlla, quam nec ponere vllam valent. Et ita de captis bello reſpon-

d *Melanth. Ethic.*

e *Chaſſ. 5. cat. 24. & 35.*

respondet etiam princeps doctus: & in suo regno notat, quod vi partum inque bonis, inque personis fuerit à Fergo Hiberno, à Guilielmo Nortmanno, progenitoribus suis. Quartum sequitur argumentum in Romano principe, de quo quæstio est nostra, quod non habeat talem potestatem: quoniam nec ipse talem habuerit, qui principi dedit potestatem populus. [f] *Nemo dat, quod non habet: nemo debet melioris conditionis esse, quàm auctor suus*, &c. [g] Adde huc tu, quod idem populus Romanus nunquam vsus dicitur ea plenitudine, aut clausula ea plenitudinis potestatis. Vt de Baldo acceptum alii scribunt. [h] At etiam responde de eodem Baldo, quod imò ea potestas, & ea clausula his includitur legis nostræ verbis primis, QVOD PRINCIPI PLACVIT. [i] Et quod, ex non vtendo ius nō perditur, non ostenditur, ius non fuisse vtendi. Ostende autem ius istud clarè. [k] *Nobis Romulus, vt libitum, imperitauerat*, ait Tacitus. [l] *Reges omnem potestatem habuerunt. Omnia manu à regibus gubernabantur*, scribit Pomponius noster. [m] Quid est manus? Potestas non adstricta: vt nouissimè declarat frater meus. Vis, iuri, & legibus opposita: vt habet Cuiacius ad Pomponium. Arbitrium: vt ad eundem tradit Accursius: & quod alii, *arbitria principum pro legibus erant*. [n] Regum arbitrio lites dirimebantur: ait Dionysius. Est potestas imperatoris. quod & adsumptum ideo est nomen huic potestati significandæ. Hæc potestas est, quam habebant in bello duces. quę fuit ab-

f *l. 54. 120. 160. 175. de reg. iu.*
g *Rip. rub. de const.*
h *Bal. de pa. Co.*
i *Ias. l. 3. de con. pri.*
k *Tac. ann. 3.*
l *l. 2 de orig. iu.*
m *Scip. 1. de iur. 1.*
n *Dionys. lib. 10*

soluta, & maxima.[o] vt de Homeri Agamemnone Aristoteles exponit[p]. Solius ducis, indicta causa, absq; prouocatione fuit potestas vsq; ad mortem. quod ad Romanos singulariter notatur. [q]Hanc principib9 Rom. absq; velamento vllo fuisse ætate Vlpiani, auctoris nostrę legis, Budęus etiam annotauit: quam & vocat παμβασιλειαν, regnũ numeris omnibus dominationis absolutũ: & quinctum illud interpretat᷑ regni genus apud Aristotelẽ, quod ante attulimus. [r]Imperiũ summę dominationis: vt loquit᷑ Tertullianus, fratri meo relat9. [s] Etiã alii nostri interpretes sic post Budęũ. Sed nec soli reges, & imperatores, verùm etiam respub. vsa est illa potestate. [t]Dictatura potẽtior dominatione legitima. maior potestate regia. Senatus eo incõsulto vtebatur ista potestate, quo mãdabat consulibus, viderent, ne quid respub. caperet detrimenti[u]. Etiam in socios summum, plenum, regium imperium cõcedebatur. Et ita ad argumentũ: si cõcedimus imperiũ à populo datũ fuisse.[x] Sed Bodinus ait, nõ esse valde verisimile, vt populus dederit potestatem principi, quã iamdudum perdiderat.[y] Et in re simili apertiùs Hotomanus, nihil obtusius dici posse, quàm quod populi potestas propter ciuium copiã ad senatum translata sit. quod tamen non vno loco dicitur legũ nostrarum. Imò enim (inquit Hotomanus) Cæsarũ astutia, & calliditate id fiebat: qui senatus in augẽda potentia seruiebant suæ. Et arcana hæc tum imperii erant, id

o Arist.3. pol.10.
p App.3.ciuil. Dionys. & Lips.5.de mil.18.
q Bud.d.l. 31.
r Tert.apol. 24.
s Decia.2. pr.25.
t Dionys. lib.5.
u Cuia.d.l. 2. Scip.1.de iur.5.
x Bod.5.de. rep.8.
y Hot.tit.2. Inst.

est ([z] vt ante annos viginti definiebam) rationes, & consilia, quæ dum maximè inducunt, firmantve tyrannidem, hanc protinus, maximeq; tegunt. Voluerunt principes velut à populo capere regnandi potestatẽ, quem omni exuerant potestate, vt eundem haberẽt ad seruitium omne proniorẽ, qui & auctor suæ seruitutis exstitisset. De ciuitatibus autem liberis in Italia, de quibus mouet Alciatus, sic quoque dixeris, eas cum ipsa ciuitate principe liberas esse desiisse.[a] Dixi aũt alibi de his ciuitatib. quę ob causas esse liberę desierũt.[b] Sic autẽ & frater, quod iure Romano, & more illius imperii ciuitates omnes & subditę, & loco priuatorum essent. Quod nos etiam alibi scribimus. Quinctũ argumentũ cõtra nos moueat᷑ à nobis per verbũ *Placet*, quo vtitur lex,[c] & quod non significat absolutũ quidquam, at arbitrium boni viri: quod res est valde regulata. Verùm & à nobis respondet᷑ primùm cum Hotomano, esse ridiculum hoc loco quærere, quid *Placiti*, (à verbo hoc *placet* dicuntur principũ placita) nomine intelligat᷑. vtrum quodcunq; ad libidinẽ, an quod de concilii sui sentẽtia constituũt principes. queadmodum placita Philosophorum dicebãtur, de quibus re diu quæsita, & disputata cõuenerant. quasi verò nõ omnia tyrannorũ edicta legis vim obtineãt. Non enim Philosophorum more Iustinianus quęrit, an legis nomine digna sint: sed hoc simpliciter adfirmat, legis vim obtinere. Quæ Hotomani prudentiùs

[z] Alb. 2. lect. 9.
[a] Alb. 3. de iu. bel. 10.
[b] Scip. 3. de iur. 22.
[c] Alb. 2. de iu. bel. 17. Decia. 1. cons. 52.

dicta ſunt, quàm aliorum, & Jaſonis hîc, qui hîc præterea deſiderant æquitatem, ac rationem naturalem. QVOD PRINCIPI, inquit lex. Non igitur neceſſe, adhibuiſſe conſiliarios, inquit Caſtrenſis.[d] Humanū dicit lex alibi de adhibendis conſiliariis. Vt itaq; oſtēdat non neceſſariū. QVOD PRINCIPI PLACVIT, inquit lex. Sufficit pro ratione voluntas, inquit Angelꝰ. Et verba illa (inquit Bodinus) reſcriptorum, placitorum, *Ita nobis placet*, apponuntur ita, vt oſtendat princeps, à ſe pendere vim, non à ratione. Poteſtas ſcilicet imperii eſt, quæ vim habet.[e] Rationabilitas, iuſtitia quantacunque, etiam aperta, nihil operatur ſine poteſtate. Et operetur igitur ad iuſtitiam legis, at nō ad vim conferat. Atq; ita hîc ſit verbum *placet*, notando loco, vnde eſt legis vis: non illi eidem loco circūſcribēdo, & anguſtando. hoc enim Iuſtiniano (vt dixi) nō eſt in quæſtione. PLACVIT dictum eſt pro *decreuit*, & PLACITVM pro *decretum*, ab hominibus Græcis: ait Hotomanus. At etiā reſponde, quod & nos facimus hāc poteſtatē principis immēſam, & ſupra omnes leges ſcriptas ſub boni arbitrio viri. vt nunc reſpondeo ad aliud argumētum. Quod ſextum ſic eſt[f]: Populus eam poteſtatem tranſtulit, quâ commodius regi poſſet. Sed hæc non eſt ea ſuprema, quam nos dicimus, *Sic volo, ſic iubeo*: at ordinaria legibus directa[g]. Ita Alciatus. Adde illa Ariſtotelis: Μοναρχία δ' ἐςὶ κατὰ τοὔνομα, ἐν ᾗ εἷς ἁπάντων κύριός ἐςι. τούτων δὲ μὲν κατὰ τάξιν τινὰ Βασιλεία. Η' δ'

d l.8.C de leg. Bod. 5. de repub. 8.

e Fely. c. 1. de Sponſ.

f l. 2. de Ori. iu.

g Alc. d. cōſ. 5.

ἀόρι-

ἀόριστος, τυραννίς. At nos reſpondemus, negando illa negationem, quod hæc poteſtas, qua commodiùs regi populus poſſit, non ſit illa, quã nos dicimus. Eſt & ordinaria, & etiam illa extraordinaria. Et ſic diximus duplicem hanc poteſtatem in principe. Regitur ſcilicet populus aliquando per extraordinariam commodiùs. Pulcrè Juſtus Lipſius in Politicis, Heluetios, mitis ingenii homines, p Deum liberatos iugo principis: Florentinos, indomiti ingenii homines, ſub vnius dominatum adactos eſſe. Hæc poteſtas illa eſt extraordinaria, quâ populus ille, ceruicis duriſſimę, & naturæ inquietiſſimæ, nũc regitur pacatiùs, quàm vmquam potuerit antea[h]. Tyrannicum eſt (inquit cum Plutarcho noſter Bartolus) quod princeps cuſtodiam ſui non ſuis, ſed dat exteris. Et tamen, quod hoc idem poſſit eſſe iuſtum: ſi populus indomitus ſit, cui iuſtus dominus non poſſit fidere. Tyrannicum (ait) id eſt, quod in tyranno ſolens, & ordinarium eſt, in domino iuſto extraordinarium, & caſuale. Et ſic alia Bartolus plura facit principis iuſti, quæ ſunt tyranni communiter. Viros excellentes tollere, ſapientes abigere, ſtudia exterminare, delatores habere, bella ſectari, id genus alia dicit ille tyrannica: ſed & poſſe aliquando etiam eſſe iuſta[i]. Viros excellentes tollere iuſtum, vel per oſtraciſmum. Nam, vt ſæuias vlteriùs ob hanc tantùm cauſam, nullus dixerit nullus probet,[k] quod in Sorani, & Thraſeæ cæde Neronem fe-

k *Bar. de tyra.*

i *Ariſt. 3. Pol. 9.*

k *Tac. ann. 16.*

ciſſe ſcribit Tacitus, vt virtutem ipſam exſcindere
l Vict.Pol.5. concupiſcas.[l] verè enim contrarium voto tyrannorũ,
vt alius ſummũ eiuſmodi teneat locum honoris pleniſſimi, quem ipſi ſoli volunt: vt ad hũc Thraſeæ caſum notat Victorius in Politicis Ariſtotelis. Sed, quod ſæuiant propterea, id certè iniuſtum eſt. Idem Victorius, quod more Romano, qui plerunque reges vocabant iniuſtos principes, & tyrannos, dixerit Salluſtiꝰ, *Regibus bonos, quàm malos ſuſpectiores.* Si accedat cauſa, etiam vlteriùs ſæuietur in excellentes iſtos. Delictis (inquit aliquis) ignoſci priuatis, & communibus propter benemerita: ſed non maximis, & ſpectantibus ſtatum reipublicæ. Vt ſic Manlio Capitolino non ignoſcitur: at de eodem ſaxo datur neci, vnde præ-
m Liu.lib.6. cipites ipſe dederat Gallos, & vrbem ſeruauit.[m] vir ad id, qui decora pacis, ac belli plura non commemorarit tantùm, ſed protulit etiam conſpicienda, ſpolia hoſtium cæſorum ad triginta, dona imperatorum ad quadraginta, in quibus inſignes duas mu-
n Io.And.c. rales coronas, ciuicas octo.[n] Cæterum de offenſio-
2.de con.infid nibus erga dominum non eſt compenſatio ad ſeruitia eidem impenſa. Et hæc Bartoli tamen non mî animus proſequi. Etiam alia poſſunt eſſe iuſta, quæ Bartolus ſimpliciter tyrannica facit. Scilicet ſunt ſubditi quidam regendi ſic virga ferrea, qui non cedunt feru-
o Str.lib.14. læ.[o] Et legi aliquando (nunc liber non eſt ad manum) apud Strabonem de eo, qui ꝑ reipublicę vtilitate agebat

bat tyrannicè quemadmodum malum esset pernecessarium: nam neque viui posset cum illo, neq; sine illo. Id de habenda vxore dixerat alius. Ego de his nũc non tracto. Potestas hæc illa est, de qua tracto. & quam fateor, esse pro arbitrio, id est, ꝓ voluntate boni viri. Sed hunc ipsum bonum virum affirmo principem. Atque sanè nostri sic: [p] *Licèt princeps habeat plenitudinem potestatis, debet illa iustè vti. aliàs esset plenitudo tempestatis.* [q] *Et clausula, De plenitudine potestatis, intelligitur de potestate bona, & laudabili,* &c. [r] Non est ea potestas ad malũ, & ad iniuriam. hoc verum, Vasqui, est. illud verum non est, quod in principe legitimo non sit. nisi tu legitimum dicis, non solutum nostrum, sed principem legibus alligatum: de quo nos nũc nõ disputamus. [s] Etiã illud dare possum⁹ aliis, & doctori meo, Thobię Nonio, principẽ nec de plenitudine potestatis posse priuare subditos dominio rerũ suarũ sine causa iusta. q cquid de aliis doctoribus cõtrariũ antea posui. Sed sic dicimus, de hac tamen causarũ iustitia censere, id esse arbitrii principis absoluti. In quo sit differẽtia cũ principe altero, cui⁹ arbitrii nõ est, iudicare de causis, at ex legib. iudicare habet. Hęc ratio hunc à nostro distinguit. Alioqui etiã magistratus cũ causa iusta priuat nos dominio rerũ. Quę ad sextum argumẽtum. Septimũ est itidẽ in Romano principe: sed de quo idem in aliis supremis cõstituim⁹: vt à principio exposui. Ille ([t] inquũt) princeps solutus nõ est lege Falcidia, Voconia, Glicia,

p Dec.1.cõs. 25.
q Bal.1.cons. 245.
r Vasq.1.ill. 5.&15.
s Non.cõs.89
t Cuiac.15. obs.30.

aliis quibusdam. Tu retorque: Ergo solutus est aliis omnibus per legem dicentem, *Princeps legibus solutus est*: cùm exceptæ non nisi quædam legantur, quibus solutus non est.[u] Etiam responde illa Baldi: *Ex honestate princeps non debet detrahere Falcidiam. quia donare consueuit. Nam PROPRIE PROPRIVM principis est, quod debet esse liberalis & gratiosus*.[x] Respondet Bodinus de Voconia lege in casu notato Augusti, quod is petierit à Senatu legis huius dispensationem, vt melius firmaretur, quod vxori dedisset: vel quia nec supremus princeps ille esset. Tu dic, vana hæc oblectamenta libertatis indulgere Augustum consueuisse, & principes solere semper plurimos indulgere talia. Etiã arcana dominationis illa: & isthic tamen in lege Voconia, & similibus leuissimis ridenda, & ludibriosa: ineptissima, quæ in istam disceptationem de suprema potestate principis adducantur.[y] Dic cum interpretib. nostris ad omnia eiuscemodi generaliter, quod sint illa accipienda omnia de potestate ordinaria, nõ de absoluta: de honestate, nõ de necessitate: nõ de necessitate, sed de voluntario obsequio: *Licèt Imperator legibus solutus sit, tamẽ viuere vult legibus*, inq̃t Salicetus: *Submittit se legibus de voluntate, nõ de necessitate*: ait Bartolus[z]. Est etiã necessitas (vt scribũt alii) duplex: altera, quæ imperat præcisè, & qua necessitãtur subditi à superioribus: altera necessitas sit honestatis, qua necessitetur princeps. Est lex honestatis, est lex præcepti. vt iidem tradunt. qui etsi quod illa non minus,

[u] *Bal. l. 4. C. ad leg. Falc.*
[x] *Bod. 5. de rep. 8.*
[y] *Bar. Saly. alii ad l.* digna vox.
[z] *Rip. rub. de const.*

minus, quàm hæc obliget: tamen nos dicimus, eam ſupereſſe ſemper differentiam, quod lex honeſtatis ab arbitrio principis pendet· aut vtraque foret vna.[a] Diſtinguit Bartolus & de neceſſitate rei, atque perſonæ. Quæ diſtinctio ſeruire in quęſtione quoque valet. Vt, etſi rei neceſſitas quid poſcat, non tamen id facere neceſſe ſit perſonæ abſoluti principis.[b] Etiam Jaſon generaliter diſtinguit caſus quatuor. Aut loquimur (inquit) de actu, qui fit ab ipſo principe in priuatũ: & ſolutus eſt princeps legibus: & ſic eius donatio vxori valet ilico: & eiuſdem donatio ſupra ſolidos quingentos valet abſque inſinuatione: & valet eius teſtamentum abſq; numero ſeptem teſtium, & abſq; aliis ſubtilitatibus iuris ciuilis, ſicut per ſuam præſentiam facit in aliis valere.[c] Quid deriſit Pius Secundus mandatum Henrici Sexti, adeoq; ſolennem regum Angliæ morem, dum non tabellio, non teſtes in eorum talibus inſtrumentis notantur, at illud TESTE MEIPSO?[d] *Teſtem ſe dicit futurum, quia in iudicio ſuo non indiget teſtibus.* Auguſtinus de Deo: Sed quod hîc dicas tu non impiè etiam de principe. Sed ſecundus caſus Iaſonis eſt, quum in actu ſumus, qui fit à priuato in principẽ: & in iſto ſeruetur ius commune. Scilicet (vt ego dicerem) hîc non princeps ſolutus legibus dicetur, ſed priuatus ipſe.[e] *Sic quod ex imperfecto teſtamento nec imperatorem hereditatem vindicare poſſe, ſæpe conſtitutum eſt.* Sic alia. Et non ſic tamen in donatione inſinuanda:[f] quæ ad quantã-

[a] Bar. de no. cod. fa.

[b] Iaſ. l. 3. C. de teſta.

[c] Comm. Pii 2. lib. 3.

[d] Aug. 20. de ciu. 26.

[e] l. 3. 20. C. de teſta, l. 6. 7. C. qui te. fa. po.

[f] Nou. 52.

cunque ſummam à priuato facta principi valet abſq; inſinuatione. imò nec in aliis ſic, ſi valet generaliter ratio generalis, οὐ γὰρ ἂν εἴη τῶν ἀκολούθων, τὸ μηδὲ τῶν αὐτῶν τυγχάνειν τὴν βασιλείαν παρὰ τῶν ἰδιωτῶν, ὧν αὐτὴ δίδωσιν ἐκείνοις. Cæterum res vltra illam donationem nō trahetur. in qua & aſtutè, & ſordidè factum à Iuſtiniano ait Balduinus.[g] Adi ad fratrem *de donationibus inter virum, & vxorem.* Adde, quod licèt ſic ſint omnia de factis à priuato in principem, tamen & neceſſitatem principis habēt nullā: vt ſic ſequitur in eadem lege. *Licèt enim lex imperii ſolennibus iuris imperatorem ſoluerit: nihil tamen tā proprium imperii eſt, quàm legibus viuere.*[h] Et quidem Albericus ita notandum ait, quod legis lator, & ſubditi diuerſimodè ad obſeruantiam legis tenentur. nam ſubditi tenentur neceſſitate coactionis, legis lator ſola voluntate promotionis boni communis. In lege eſt princeps, id eſt, voluntariè legi obedit. Sub lege ſunt ſubditi, id eſt, ſecundùm legem agunt neceſſitatis timore coacti. Sic Albericus ad ſupradicta legis. qui & plura mouet argumēta obligādo legibus principi. Atq; illud, etiā allatū aliis,[i] quod omnis legis lator obligatur pręceptis diuinis. pręceptum autem diuinum ſit, vt quis faciat, quod ipſe aliis imperat. Cæterum in his diu moror. Tertius eſt caſus in actu, qui fit inter principem, & priuatum, vt in contractu. & princeps ſolutus non eſt iſthic legibus. Quartus eſt caſus de actu, qui fit in pręſentia principis. & de hoc non ſimplex reſponſio eſt.

Viden-

[g] Scip. de don. int. vir. & vx. lib. 2. c. 2.

[h] Alber. l. princeps.

[i] Decia. 1. conſ. 8.

Vidēdi sunt interpretes, Angelus, Romanus, alii, qui eadem Jasonis posuerunt. Et ad duos primos casus, qui magis ingrediuntur præsentem disceptationem, adhuc nota differentiæ rationem, quam scribit[k] Decius nouissimè, leges cedere in his, quæ actiuè referũtur ad principem, non in his, quæ passiuè. quoniam actus, qui se habet per modum agendi, fortior est, quàm qui se habet per modum patiendi. Et ad vnum illud, quod possit reuocari testamẽtũ, in quo sit princeps institutus: ne aliâs non reperiretur, qui illum instituere vellet. quod & in cõtractu dicitur cũ eodem. Atq; tandem de his, & de argumento septimo satis[l]. Octauum argumentum sequitur. quod si populus ipse suis legibus tenebatur, ita & princeps teneatur: si ipse idem populus ei, & in eum potestatem conferat. Quid hoc tamen ego audio à Cuiacio?[m] qui alibi omnem hanc potestatem à populo collatam principi interpretatur & populi, & magistratuum, & ipsarum legum. Aut qui habet in potestate leges, is in potestate legum est? Aut qui habet potestatem legum, idem potest potestate legum detineri?[n] *Non est rex legi, sed lex obnoxia regi.*[o] Fuit lex in XII, vt quodcunque postremum populus iussisset, id ius ratumque esset. Ius autem populi etiam suffragia esse, contendit rectissimè aliquis apud Liuiũ. Esto, sic non sit subiect⁹ legib. princeps, quia abrogare eas potest. At tuç huic obseruationi, Iac. Cuiaci, respondeo, iussum principis

[k] *Dec. l. 6. C. qui testa. fa. po.*

[l] *Cuiac. d. 30.*

[m] *Cuia. l. 2. de orig. iur.*

[n] *Alb. l.* digna vox.

[o] *Liu. 7. 9.*

etiam ſuffragium eſſe. Tu mihi diſputas, quo modo ſit ille ſolutus: quum eſt prima quæſtio, an ſit ſolutus. In qua prima, velis, nolis, nobis concedis. At imò nec tenet legibus princeps. vt mox de Budęo adnotabo[p]. Nonum argumentum eſt Antonii Auguſtini, quod lex regia non ſoluit principem, niſi quibuſdam legibus. Et ita recitat verba regiæ legis, ſcriptæ Veſpaſiano: *Vtì quibus legibus, ne Auguſtus teneretur, iis Veſpaſianus ſolutus eſſet. Quæque ex quaque lege Auguſtum facere oportuit, ea omnia Veſpaſiano facere liceat.* quibus verbis certę leges notari videantur, quibus ſolutus, & ſecundùm quas non teneretur agere princeps, non videretur de omnibus ſignificari. Cæterum huic quoque argumento facilè reſpondetur.[q] Diuiſa illa regia lex erat per tabulas plures. atque fragmentum hoc, Auguſtino ſumptum, poſtremæ videtur tabulæ. Itaq; reſpondemus, [r]*inciuile eſſe, niſi tota lege perſpecta, vna aliqua particula eius propoſita, iudicare vel reſpondere.* Etiam, quia fragmentum hoc mentionē facit alterius legislationis, ſequitur per alteram [s] regulam noſtri iuris, vt nulla ex hac mentione fiat exactio, niſi aliud documentum, cuius memoria in ſecundo facta eſt, proferatur. Quod obtinet certè & in legibus, ſi ſecunda non eſt completa, nec intelligitur ſine prima. Etiam audi alterum caput eiuſdem legis, quod præcedit: *Vtì quæcunque ex vſu reipublicæ, maieſtate diuinarum, humanarum, publicarum, priuatarumque rerum eſſe cenſebit, ei agere, facere, ius, poteſtasque ſit, vtì Auguſto fuit.* Quæ non notant verba, Auguſto nō fuiſſe poteſtatem omniū:

p *Aug. de legi.* 18.

q *Vrſin. de legi.*

r *l.* 24. *de legi.*

s *Auth.* ſi quis. *de eden. & ibi Dd.*

ſed Auguſto æquant Veſpaſianum. Eſt illic adæquatio in poteſtate, non poteſtatis reſtrictio. [t] Auguſto autem omnium, quæ olim fuit magiſtratuum, poteſtas omnis translata, & cætera, quam antè dixi. [u] Ipſe Alciatus, aduerſarius hîc noſter, ſcribit, conceſſum Auguſto, vt legibus ſolutus eſſet, ab omni legũ neceſſitate liber, nulli iuri ſcripto obnoxius, omnem regũ poteſtatẽ haberet. Et ſic igitur ad nonũ etiã argumentum. Decimum dicemus, & vltimum, quod nulla lege hęc, quã nos aſſerimus, aſſeratur poteſtas. Videlicet variè reſpõdeatur & legi noſtræ, & illi, quę dicit ſolutum legibus principem. Reſpondeatur illi, quod loquatur de legibus caducariis, Iulia, & Papia. vt inſcriptio illius docet capitis, quæ hæc eſt, *Vlpianus libro* XIII *ad legem Iuliam, & Papiam.* Sic Auguſtinus, ſic Cuiacius. Cæterum docuimus nos alibi, nihili eſſe eiuſmodi argumenta. quoniam non ad id iuriſconſultorum nomina, mentioque ſint, & hæ ſint inſcriptiones, vt legem illam ex illo iuriſconſulto, iſtam ex iſtius ſentẽtia, aut ſecũdùm locos, de quibus ſumptę ſunt, caperemus, quod vetitum etiam eſt verbis diſertiſſimis: ſed ad honorẽ ſuum auctoribꝰ adſerendũ. Alioqui quicquid eſt ſcriptũ, hoc totum intelligitͬ Iuſtiniani. Atq; ita igitur, ſi ab inſcriptionib. licet argumẽtari, ab ipſis Iuſtinianicis argumentabimur: quæ ſunt rubricæ, & tituli. Quod & veteres interpretes probãt. Quum verò rubrica, ſub qua collocatͬ ſentẽ-

[t] *Zonar.*

[u] *Alc. de Magiſtr.*

tia hæc, *Princeps legibus solutus est,* generalis sit, & titulus generalis *de legibus:* sequitur, vt hæc quoque sententia generaliter sit accipienda de legibus omnibus. Sic primæ huic responsioni responsum est. Græci interpretes respōdebāt legi aliter: scilicet, quod ea de pœnalibus loqueretur. nam princeps nō habeat iudices, qui ipsum cogant. Quò alludit alius,[x] Deciano relat⁹: dum scripsit, solutū dici legibus principem, nō quia ei iniqua liceant, sed quia is debet esse, qui non timore pœnæ, sed amore iustitiæ æquitatem colat.[y] Huc & Albericus inclinat.[z] Huc & Theologi nonnulli, & adhuc non nemo alius nostrûm. qui aiunt principem solutum legibus coactiuis, non directiuis. nec enim vllus possit principem cogere in obseruantiam legū: & ipse tamen se dirigere debeat in obseruantiam legum, aut pati, se, suasque dirigi actiones à legibus. Quæ mihi notes pro disputatione *de vi ciuium in principem semper iniusta:* Sed quæ tamen in disputatione præsente, parte altera, non probes, vbi generalem tituli generalis sententiam enormiter cogunt. Nisi & hanc partem sic tu capias, vt ipse tamen princeps arbiter solutus sit huius totius directionis. quod antea dixi.[a] Tertia est responsio ineptior Corasii, & Vasquii, vt solutus dicatur princeps legibus quarundam solēnitatum. Responsio nec digna responsione. Ergo legi illi nō est responsum. cui, dum respondetur multipliciter, nec semel (vt dicitur) respondet benè. Ergo est illa

[x] *Decia.1. cons.8.*
[y] *Alb.l.* digna vox.
[z] *Fachin.1. contr.2.*
[a] *Vasq.1.ill. 1.2.3.26.45. & lib.4.c.1.*

illa lex de legibus omnibus, & de ſcripto omni iure. vt tenent Latini communiter, Alciatus in libello de magiſtratibus, Scipio frater in oratione de lege regia. Atque ecce habuiſti argumentum vnum pro noſtra diſputatione: *Princeps legibus ſolutus eſt*: Ergo *principis eſt poteſtas ſoluta*. Alterum ex lege noſtra exſtitit: *Quodcunque placet principi, id vim habet legis*: Ergo, *Principis eſt poteſtas ſoluta*[b]. Nihil namque excipitur, quum adeſt illud vniuerſale: quod & appellant effrenatum. Tertium item ex noſtra: VTPOTE QVVM LEGE REGIA, *&c.* Nam regia rectiùs videtur dici, quia regiam poteſtatem tribueret principi. Quicquid alii alia commententur. de quibus poſt fratrem, & Decianum dico nihil.[c] Niſi illud fortè ſcire placet, quod in loco vno Scripturæ ſacræ eſt quoque mentio legis regiæ. & illic de lege Dei capiunt alii: qui per antonomaſiam rex vocetur. alii perinde ac de via regia exiſtimant dici prouerbiali loquendi formula. Et de lege tamen regia quicquid eſt, dixi iam regiam poteſtatem fuiſſe principũ, & regiam poteſtatem fuiſſe ſolutam, legib⁹ non ſubiectam. Adde illa, quæ contra ire apud Tacitum videntur: *Præcipuus Seruius Tullus ſanctor legum fuit: quîs etiam reges obtemperarent*. Ergo alii reges non obſtricti. Is, qui regnum inuaſit, etiam fregit regiam poteſtatem, captando fauori ciuium. Sed fracta ea poteſtas non fuit poteſtas regia. Et tertium ſic eſt argumentum: *Principum erat poteſtas regia*: *Hæc erat ſoluta*:

b *Rebuff. l. 2. de V.S.*

c *Iac. 2. vbi Bez.*

Ergo principum erat potestas soluta. Quartum quoque est ex lege nostra: POPVLVS EI ET IN EVM OMNE, &c.[d] Ad prima autem verba est interpretatio Duareni elegans, quod populus in se contulerit principi omne imperium, & potestatem.[e] Πᾶσαν βασιλεῖ δέδωκε κατὰ τοῦ δήμου τὴν ἐξουσίαν, inquit Theophilus. Vbi illum sequitur Hotomanus.[f] Sed & Donellus hanc probat Duareni interpretationem. Et eam frustra Decianus oppugnat. Et hoc tamen nobis certum est, omnem potestatem principi datam fuisse.[g] Qui autem OMNE dicit, nihil excludit. Et sic igitur: *Qui habet potestatem omnem, is est legibus solutus omnibus: Sed princeps habet potestatem omnem: Ergo.* Quinctum argumentum fuit, quod expediat, hanc esse solutam principis potestatem: quâ aliquando regitur populus commodiùs. Sextum quod si ducibus belli hæc potestas est, etiam & in pace possit esse, quum eadem ratio domi sit, & militiæ.[h] Dic laudatum facinus C. Seruilii Halæ, P. Cornelii Nasicæ, aliorum similia.[i] Septimum est Fulgosii, quod si pater in filium, dominus in seruum habuit solutã potestatem: vt nec de causa quæreretur ab illis, quid in filios, seruosve constituentibus: etiam maior sit regia potestas. est enim rex etiam pater patriæ. Quid ais? [k] *Patria potestas temperatissima, liberis consulens, suaque post illos reponens. Sic data patris patriæ appellatio principibus.* Sanè & nos sic. sed tamen solutam dicimus. Hæc est quæstio.[l] Et ego de patria potestate exposui alibi latè: & de regia

[d] Duar. 2. an. 19.
[e] Theo. Inst. tit. 2.
[f] Don. 1. Cõ. 8.
[g] c. 1. dist. 19.
[h] Liu. lib. 4.
[i] Fulg. d. 143.
[k] Sen. 1. de cle.
[l] Alb. 4. de nup. 1.

de regia maiore indicabo in alia disputatione. Scribit Fulgosius, stare & regiam potestatem solutam omni iure. nam solutus legibus dicatur iure ciuili: quod & ex naturali, & gentium collectum est. Octauum fuit argumentum à nomine *domini*, quod principi tribuitur. Et ad res quod attinet, idem doctor[m], quod si potuit princeps generaliter constituere de trãsferendo dominio rei alienæ, à se, vel à fisco suo venditę aut donatę: per eandem potestatem valeat res easdem princeps alio modo interuertere. Quod namque responderunt Cuiacius, & Hotomanus de fiscalibus, & patrimonialibus principis, non de alienis rebus venditis, leges loqui: illud pro certo à legibus ipsis refutatur, quę in rẽ actiones auferunt dominii: itaq; dominis: itaque res alienas. Et quod causa sit aliqua præscriptionis eius, sicut & vsucapionis omnis.[n] etiam sit causa (additq; Fulgosius) alterius interuersionis, semper potestatis huius exercendæ pro libitu.[o] Clam est causa in exercitio potestatis solutæ. Sine alia causa hoc exercitium est. Vt hæc de consultissimo Crauetta referuntur, atque adfirmantur. illi autem confutant pauculi, qui ausi obloqui sententia communi, & negare duplicem principis potestatem. Nonum argumentum est à communi ista sententia iurisconsultorum: qui & solutam agnoscunt principis potestatem. Et quibus adduntur instituta populorum, & auctoritas Aristotelis. De Aristotele deci-

m *l. 2. 3. C. de qua. pr.*

n *Decia. 1. cons. 47.*

o *Petra de po. pri. c. 1. 2. 3.*

mum argumětum est, explicatum Budæo: quod principem non modò legibus solutum, id quod Vlpianus dixit, sed etiam ostendit legibus non teneri. Hæc scilicet non sint in homines, qui multo cæteros præstant, genere & facultate omni politica. [p] *Maiestatem imperialem non agnoscunt alii. nec quantum inter priuatam fortunam & regale culmen medium sit.* Altiùs illud se extollit, quàm aut cupressi aëriæ inter genistas humiles. [q] Scribit Petrus, & ego concludo,

p l. vlt. C. de qua. præs.

q 1. Pet. 2.

ὙΠΟΤΆΓΗΤΕ ΒΑΣΙΛΕῖ,
ὡς ὑπερέχοντι.

ΑΥΤΟΚΡΑ-





ΑΥ̓ΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΛΕΟΝΤΟΣ ΔΙΆΤΑ-ξις ΡΒ.

Μέγα τῷ βίῳ χαρίζεται ἡ σὺν φρονήματι καὶ λογισμῷ τῶν πραγμάτων κοινώνησις. καὶ γὰρ καὶ δυνάμεώς τινι παρούσης, ἐκ τοῦ κοινωνεῖν ἑτέρῳ παραπλησίως εὐποροῦντι δυνάμεως, μᾶλλον ὀνησιμωτέρα καθέστηκεν ἡ δύναμις. καὶ πλουτοῦντες δὲ τρόπον ἄλλον τὸν πλοῦτον κοινοποιήσαντες, γλυκύτερον τῆς ἀπὸ τοῦ πλουτεῖν ἀπολαύουσιν εὐπαθείας. καὶ στενοχωρούσης πενίας, οὐκ ἀπορήσει παραμύθιον εὑρεῖν ἡ ἐν τοῖς ἔργοις κοινότης, δι' ἧς τὸ σφοδρὸν ἀλυπέστερον εἴη τῆς στενοχωρίας. ἀλλ' ὄντος οὕτω καλοῦ καὶ χρησίμου τοῦ κατὰ βίον κοινωνήματος, ξένη τις ἐνδυομένη κακία ταῖς τῶν ἀνθρώπων ψυχαῖς, οὐ μόνον ἑτέροις ἐμποδὼν καθίσταται πρὸς ὠφέλειαν, ἀλλ' αἱρεῖσθαι πείθει τοὺς θάλποντας αὐτὴν, ἀγαπᾶν καὶ τὰ οἰκεῖα καταβλάπτεσθαι, ἢ συγχωρεῖν, ἐν τῷ κοινωνῆσαι τοῖς πλησίον, προστιθέναι τι κέρδος αὐτοῖς. Τοιοῦτόν τι προσῆλθε ταῖς ἡμῶν ἀκοαῖς γινόμενον ὑπὸ ἐνίων, οἱ θαλαττίου νομῆς εὐποροῦντες, καθ' ἑαυτὴν

μὲν οὐ μέγα τι φέρειν κέρδος δεδυνημένης, συνὸν δὲ τῇ γείτονι καὶ παρακειμένῃ κοινωνούσης, μᾶλλον τὴν ὠφέλειαν ἀποδιδούσης, οὐ βούλονται, διὰ τὸ κακόγνωμον, ἀναδέχεσθαι κοινωνίαν, οὐδὲ τὰ ἑαυτῶν καταμιγνύειν τοῖς γειτονεύουσι χωρίοις, ὡς ἂν ἀμφοτέροις ὑπάρξῃ τι κερδᾶναι. Ἀλλὰ προκείνουσι καὶ τὰ ἴδια ζημιοῦν, εἰ καὶ τῷ γείτονι πεφυκότες εἴησαν ἐπιζήμιοι. Ἀλλὰ γὰρ εἰ καὶ πρὸς τὴν ἑαυτῶν βλάβην ἀναισθήτως εἰσὶ τοιοῦτοι διάκεινται, καὶ κακῶς ἑαυτοὺς διατεθέντες, ὑπὸ κακοτροπίας ὀλιγωροῦσι τοῦ πράγματος, ὥσπερ τὰ χαλεπὰ τῶν θηρίων, πρὸς τὸ κακῶς παθεῖν ὁρμῶντες, ἵνα κακοποιήσωσι τοὺς πελάζοντας. ὅμως οὐκ ἀνέχεται τοιαύτην κακίαν ἡ βασιλεία ἡμῶν τῷ βίῳ παρρησιάσεσθαι, οὐδ᾽ ὅτι ἐκεῖνοι προνοίας ὠφελούσης αὐτοὺς ἀνάξιοι τυχεῖν, διὰ τοῦτο καταλείψομεν ἀβοηθήτους. μέρος δέ τι καὶ ὑπὲρ αὐτῶν μὲν προνοούμενοι, μάλιστα δὲ καὶ ὑπὲρ τοῦ γειτονεύοντος μέρους, ὃ λυμαίνεται κακῶς ἡ τοιαύτη μισανθρωπία, θεσπίζομεν, ἐπὶ τῶν τοιούτων παραθαλασσίων χωρίων, ἐφ᾽ ὧν ἰδία καὶ ἑκάστη μοῖρα πρὸς ἐποχῆς οὐκ ἐξαρκεῖ κατάστασιν, ἀνακοινοῦσθαι τὰ μέρη. ὥστε διὰ τῆς τοιαύτης ἀνακοινώσεως τοὺς κτήτορας ἐκ τῶν οἰκείων καὶ ὠφελεῖσθαι κτημάτων· καὶ, μὴ βουλομένου θατέρου κοινωνεῖν προσώπου, πρὸς τὴν κοινωνίαν ἄκοντος συνωθουμένου. φιλάνθρωπον γὰρ καὶ ἄκοντά τινα μεταλαχεῖν ἴσμεν εὐ-

ἐργε-

ἐργεσίας. ἐνταῦθα γὰρ πολὺ μείζων ἡ φιλανθρωπία, μὴ μόνον ἄκοντος εὐεργετουμένου καὶ μὴ συνιέντος τῆς εὐεργεσίας, ἀλλὰ καὶ τοῦ παραλόγως αὐτοῦ ἀποστερουμένου, μὴ τὴν ἀποστέρησιν ὑπομένοντος.



DE VNIÔNE REGNORVM BRITANNIÆ, AD l.2. DE CONSTITVTION. princip.

DISPVTATIO II.

IN REBVS NOVIS CONSTITVENDIS EVIDENS ESSE VTILITAS DEBET, VT RECEDATVR AB EO IVRE, QVOD DIV ÆQVVM VISVM EST.

Inquit lex nostra[a]. Et alia, *Etsi nihil facilè mutandum est ex sollemnibus: tamẽ, vbi æquitas euidẽs poscit, subuen iẽdũ est.*[b] Et de legibus non mutandis Aristoteles paria, & nisi etiam illa vtilitas magna sit, pro certo sentit. atque habet sanè rationem eius sententiæ peculiarem.[c] Nostri hîc generaliter, quia nouitates sæpe pariunt discordias; & omnis nouitas præsumatur mala, *&c.* At ex euidente tamen, & magna vtilitate inducetur nouitas: item ex æquitate. Disputemus nos hîc de eo, quod tractant omnes nunc, si tanta sit res de nouo cõstituenda, quanta est regnorum vnio, Angliæ, atque Scotię.

[a] *l.7. de in in. re. l.183. de reg. iur.*
[b] *Arist. 2. Pol. 6.*
[c] *Alb. Bal. Ias. hîc. Alc. 2. præsu. 30.*

d Patercul. 2. Etsi enim [d] *magna negotia magnis adiutoribus egent*: & ego, me eius non esse numeri, scio. tamen quod Sallustius scribebat ad Cæsarem in casu simili de republica ordinanda, etiam potest habere locum, mihi locum aliquẽ
e Sal. orat. 1. facere dicendi. [e] *Omnes* (inquiebat ille) *magna, mediocrique sapientia res huc vocat, quæ quisque optima potest, vtidicat*. Aut ego solus videar facere temere, si, quod faciunt adeò multi, & ipse facio professor regius? Si rex nunc suo edicto multam constituit hanc vnionem, non sequemur illum omnes voce, voto, obsequio, omni modo? Quod si qui contradicunt vnioni, iidem faciunt fundamentum primum in regula legis nostræ: nos hinc non rapiemus occasionem, & de regula disputandi, & aduersùs illorum omnium contradictionem? Magis reticuisse pigeret, ait idem Sallustius, & ego aio. Nam siue hac, seu meliore alia via pergetur, à me quidem pro virili parte dictum, & adiutum fuerit. quæ eiusdem auctoris verba sunt. Coniunctionem igitur faciendam regnorum, quam non satis Latinè dici vnio-
f Duar. 5. de ben. 6. nem, [f] Duarenus censet, suadet mihi ius omne, naturæ, gentium, & ciuitatis. Natura id docet me, quæ sub
g Sen. ep. 96. Al. 1. de iu. bel. 11. vno Deo mundum mihi vnum ostendit. [g] *Omne hoc, quod vides, quo diuina, atq; humana conclusa sunt, VNVM est*. Et id genus alia sic, quæ alibi congessi. Quod verò iuris gen-
h Cic. 1. de inu. Arist. 1. Pol. tium sit vnio, quis non intelligit, qui nouit, vt [h] in agris homines passim bestiarum more vagantes, & in tectis

siluestribus

siluestribus abditos ratio compulit, & congregauit in VNVM? [i] *Ex hoc iure gentium regna condita, ædificia collata, commercium institutum* notat auctor nostri iuris verissimè. dixit Plato, ξυμβόλαια κοινωνήματα. Quis non intelligit, vnionem regnorum esse de iure gentium, qui de gentiũ monarchiis, de quattuor illis celeberrimis audiuit? Monarchia est diuersorum regnorum collectio in VNVM. Sunt autem hîc laudes audiendæ monarchiarum, coniungentium disiuncta. [k] Audiamus Martyris ad Deum verba de Romana: *Qui sceptra Romæ in vertice rerum locasti, sanciens, mundum Quirinali togæ seruire, & armis cedere. vt discrepantum gentium mores, & obseruantiam, linguasque, & ingenia, & sacra VNIS domares legibus.* [l] Et sunt de eadem Plinio adnotata, & aliis, & nobis alibi adnotata. Et sunt ista bona communia omnibus monarchiis. Et quæsita sunt omnibus monarchiis. Et ipsam monarchiam appetit ratio: quæ in monarchia cernit bonum, pacem inter se omnium sub monarchia, & eorundem dignitatem apud exteros. Cæterùm & sunt hæc omnia vulgò nota. Et neque hîc controuersia est, nisi de iure ciuitatis: an horum duorum regnorum bona sit vnio. Et tamen, quod in iure naturæ, & gentium inuenitur bonum, ratio est, vt in iure quoq; ciuitatis bonum existimetur. [m] Nã omnis iuris fundamẽta sunt à natura. [n] Et, quod gentium ius est, idem esse ciuile debet. Etiã tamen, etiam neq; dubitatur, si bona est horũ duorũ

[i] l.5. de iu. & iu. Plat. 1. de rep.

[k] Prud. Lau.

[l] Pli. 3. c. 5. Lips. 4. de mag. Rom. vlt. Alb. 2. de ar. R. vlt.

[m] Pic. 6. mor. 19.

[n] Cic. 3. de offic.

regnorum vnio: quæ ſub vno capite iam facta eſt: & tanta quidẽ cum adprobatione omnium, quantã alacritas prima faciendi, lætitia promulgandi, cõſenſio retinẽdi declarat maximã. Et hîc verbum dico ad legẽ noſtram, quod non nunc agitur de rebus nouis conſtituendis, ſed vt inductæ rei nouæ, vtili, neceſſariæ, ſubſidia noua paria comparemus. Hæc facta vnio capitis (ne fallamur) maiorem poſcit vnionem. Poterant hæc regna ſub diuerſis regibus eſſe abſque cõiunctione maiore. at ſub vno rege non poſſunt benè eſſe abſque coniunctione maiore. *Nouitas nouitatem trahit.*[o] Dato vno extraordinario, ſtatim alia conſequuntur. Et hoc certum. Et illud cantatum noſtris, quod quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. Et id genus plura exploratiſſima. Illic quæſtio eſt, quà progredi oporteat vlteriùs, & arctior adhuc inducẽda ſit vnio. [p] Ariſtoteles ſanè, ὅσῳ δ᾽ ἂν ἄμεινον ἡ Πωλιτεία μιχθῇ, τοσούτῳ μον μωτέρα. Et Romani, longa perdocti experientia rerum arctiſſimam tandem dederunt vnionem ſuis. [q] vt, qui in orbe Romano eſſent, omnes ciues Romani eſſent[r]. *Vniuerſum regnum, in tot ciuitatibus conſtitutum, dicitur Romana ciuitas*: inquit Auguſtinus. *Roma communis patria eſt* : ſcribit Modeſtinus. Omnibus ibi adpetendi, ius ſuffragandi ad honores. Ibi domi, ibi militiæ.[s] quibus rebus cenſetur ciuis Ariſtoteli. [t] Atq; participatio hæc reipublicæ dicitur cauſa magnitudinis eius imperii veriſſimè: etiam à Cicerone olim,

o Bar. l. 22. de adop.

p Ariſt. 4. Pol. 12.

q l. 17. de ſta. ho. Aug. 5. de ci. 17. Alc. 2. diſp. 21.

r Aug. 2. de 3. co. eu. 25. l. 3 ad municip.

s Ariſt 3. Pol.

t Macch. 2. diſc. 3. 4. Lipſ. 1. de ma. Rom. 7.

Illud

[u] *Illud verò sine vlla dubitatione maximè nostrum fundauit imperiũ, & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille, creator huius vrbis, Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc ciuitatem oportere. Cuius auctoritate, & exemplo numquam est intermissa à maioribus nostris largitio, & communicatio ciuitatis. Itaque & ex Latio multi, & Tusculani, & Lanuuini, & ex cæteris generibus gentes vniuersæ in ciuitatem sunt receptæ.* [x] Hæc & persequitur fusissimè, nec vno loco Dionysius. Gens ex minima euasit in maximam, nullius conditionis homines aspernata, *&c.* Et Atheniensium, & Spartanorum calamitatem hinc ostendit, quod auari dare ciuitatem. Quod si igitur summo cum suo bono Romani istam tantam vnionem donarunt, etiam hostibus, etiam remotissimis, etiam barbaris, etiam seruis: vt est apud Ciceronem: vnio hîc non constituetur inter amicos, conterraneos, omni modo, & nodo cõiunctissimos? [y] Sanè vt ab illa infinita, & immensa totius generis humani societate discedatur, propior est eiusdẽ gentis, nationis, linguæ, qua maximè homines coniunguntur. vt idem M. Tullius ait. Videamus tamen explicatè, si penitior facienda est vnio. Atque si aptata imò est in omnem musicam proportionem, [z] regulã certissimam coniunctionum: nihil est ei addẽdum sanè. Nam idem Aristoteles: [a] Ὅτι τὸ λίαν ἑνοῦν ζητεῖν τὴν πόλιν οὐκ ἔστιν ἄμεινον. Ὥσπερ κἂν εἴ τις τὴν συμφωνίαν ποιήσειεν ὁμοφωνίαν, ἢ τὸν ῥυθμὸν βάσιν. [b] & Plato, amator ille vnionis: παντὶ δῆλον, ὅτι κοινὰ τὰ φίλων ἐστί. ἀλλὰ τοῦ λόγου δεῖται, τίς ὁ τρόπος τῆς κοινωνίας. & illud generaliter: τὸ μὲν ἀπολλύον διαφθεῖρον πᾶν, τὸ κακόν· τὸ δὲ σῶζον,

u *Cic. pro Bal.*

x *Dionys. 1. & 2.*

y *Cic. 1. de offic.*

z *Bod. 6. de rep. vlt. Cic. 1. de rep. Alb. 4. de nu. 13.*

a *Arist. 2 Pol.*

b *Pla. de rep. 5. 10.*

ὠφελεῖν, τὸ ἀγαθὸν Sed & est dictum, & est verum, abesse à symphonia vnionem adhuc: & alterum regnum lẽtũ nimis esse, alterum tentum nimis. [c] Imperfecta adhuc mixtio, non ex omnibus miscibilibus facta, & in vnam formam non redacta: itaque nec duratura. Sunt plura non miscibilia, instituta quædam, mores nonnulli, leges multę. Cęlum enim etsi idem fortassis est Anglicũ, & Scoticum, non diuersum, vt Persicũ & Macedonicũ: [d] quę diuersitas non ferebat Persas ire in omnes ritus Macedonũ: [e] tamẽ & sub cęlo eodem nec conueniunt in omnibus homines, at differũt sępe admirabiliter, & fermè naturaliter. vt in ipsis vnis Græcis hoc obseruat, & admiratur Theophrast9. Miscibilia misceantur: an ita, vt fiant vnũ? [f] Hæc vnionis natura traditur, reducere vnita ad eandẽ essentiam, ita vt vnum ab altero non possit diuelli, & separari. [g] Vnionis respectu vnus dicitur comitatus, vna ciuitas. vt in Ancona, & Numana prouinciæ meæ vnitis ciuitatib. scribit præceptor meus. [h] Cęterũ vt vnio dicitur vnum quoddã quasi mixtũ, & mixtio non vno modo intelligitur, ita nec intelligetur vnio vno modo. Vnio (inquit Baldus) est vnum quoddam quasi mixtũ. Et censet, non esse propriam illam miscibilium alteratorum Physicam, vt sic indicat cũ articulo QVASI: quem omnes sciunt improprietatis significatiuum. Etiã indicat cum verbo QVODDAM: [i] quod itidem significat improprietatẽ. [k] Aliæ sunt quattuor species mixtionis impro-

[c] Zab. de na. sci. co. c. 24.
[d] Alb. 3. de iu. bel. 11.
[e] The. char. prin. Arist. 7. Pol. 7.
[f] Menoch. cons. 26.
[g] Non. cõs. 89.
[h] Bal. 4. cõs. 354.
[i] Crau. rub. de leg. 1.
[k] Alb. 4. lect. 15.

impropriè: confusionis, vt vini & mellis in mulso: aceruationis, vt in aceruo granorũ multorũ: cõpactioonis, vt lignorum in naue: adiunctionis, vt vitis ad vlmos. Atq; vltimę huic speciei adiunge, adhuc exemplũ, quod fortassis habeat mixtionẽ nostrã, eius corporis, quod dicit᷑ constare ex distãtibus, vt gregis, legionis, populi. Facit societati similem hanc mixtionẽ vnionis idem Baldus. Et est vnio tamẽ maius quiddã, quàm societas [l] οὐ μία πόλις, οὐδ᾽ εἰ πρὸς ἀλλήλους ἐπιγαμίας ποιήσαιντο· μὴ μέντοι κοινωνοῖεν ἄλλου μηδενὸς ἢ τῆς ἀλλαγῆς, καὶ συμμαχίας, οὐδ᾽ οὕτω ποῦ πόλις, &c. Neque ego volo tamen ridiculè de regnis efficere ciuitatem. Sed dico, quæ & in vno regno, & in vna ciuitate similia dici possunt. Nam & de domo hîc, & de vno hominis corpore rationes cõficiuntur. Hîc, si vnioni adderetur, vt Scoti non essent peregrini in Anglia, & Angli non essent peregrini in Scotia, proportio esset integra illa, & ius æquum vnionis haberetur. Hoc & Cambris datum hîc est, & Hibernis, & Francis olim non sepositis à monarchia. Hoc datum in Francia his, qui variè iuncti in illam sunt monarchiam. [m] Hoc in Polonia datum Lituanis, in Lituania Polonis per vnionẽ. Hoc datũ alibi non dubito. In Poloniæ, & Lituanię copulatione est, vtq; nobiles Lituani fruantur eadem libertate cum Polonis. sint iidem nobiles in Polonia. & iidem, & Poloni parlamenta habeant communia. Atque Scotico regno quid ni detur hîc idem? idem, quod da-

[l] Arist. 3. Pol. 6.

[m] Sta. reg. Pol. ver. vnio.

tum est Cambris? Dandum Scotis hîc liberaliùs idem ius est: quod regnum est, non vi partũ, non disiunctũ vlla notabili differentia. [n] Ipsa autem vicinitas iudicat bona occasio etiam vnionis ecclesiarũ [o]. Vicinitati fauetur, quæ vnit bona magis. Vnitati fauetur bonorũ: quæ plura habet commoda, vt separatio inducit incommoda maxima. [p] *In vnitate bonum, in pluralitate malum.* Atq; vnionem Ecclesiarum difficiliùs admittendã cẽsuerimus: in qua commodum prelati queri videtur, non populorum, qui meliùs vigilant per plures. [q] Valde alienum à ratione, & canonibus contrarium sic dicitur, vt duabus ecclesiis vnus præficiatur: & multò magis, vt duæ ecclesiæ in vnam redigant. nam recipiet detrimentum maius diuinus cultus [r]. Vnio ea odiosa, strictissimè interpretanda, facilè impedienda. Quę hîc in vnione regnorum vacant omnia. Hactenus autem pro ista vnione diximus argumenta à iure naturæ, & gentium: ab exemplo Romanorum, Francorum, Polonorum, & domestico. Exemplum domesticum steterit etiã pollicitatio sanctissimi Eduardi. [s] qui istam vnionem etiam in nomine Britanniæ obtulit Scotis, si illi reginam suam vxorem sibi dedissent. Scoti nunc regem suum dederunt. Quid? [a] Οἷς εἰ πρὶν ποιῆσαι ἠξίου τῆς εἰκόνος τυχεῖν ποιήσῃ ἔδοτε ἄν, ποιήσαντι δ᾽ ἆρ᾽ οὐ δώσετε; [b] Et Cicero, *Si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt?* Tertium nunc sequitur argumentum.

quod

[n] Rom. cons. 275.
[o] Decia. 1. cons. 15.
[p] Mich. de vn. ou. c. 12. Arist. 12. Mtea. fi.
[q] Duar. 5. de be. 6.
[r] Menoch. cons. 402.
[s] Pont. de vn. Brit.
[a] Arist. 2. rh.
[b] Cic. 1. de off.

quod vt fuit vtiliſſimum, heptarchiam Saxonicam, & neſcio quam aliam diſtinctionem Danicam, & ampla illa nomina partium, Eboracenſis, & Lancaſtrēſis, obſoleuiſſe: ita eſſet vtiliſſimum nunc, ſi imminuerentur, quæ nunc labefactare vnionem poſſunt, vocabula magnarum potentiarum, & in minutiorum vbique redigerentur. [c] Vt qui ſapientiſſimus audit rex, & fundaſſe legibus vrbem Romam, id ex eadem amouiſſe narratur, quod alii illic Rom. alii Sabini nūcupabantur: minutulas auter[illegible]uaſdam ſectas permiſiſſe, imò etiam induxiſſ[illegible]. ſolere videlicet homines ea corpora, quæ ſint du[illegible], perfringendo, & diuidendo commiſcere. quippe quæ ex paruitate magis conueniant, & facilius vniantur. *Duro con duro non fa muro*: dicunt Itali. Quæ rurſum exſurrexere factiones magnæ Romanam rempublicam peſſumdedêre. Duæ quadratæ P rempublicam illam euertêre, patritia, & plebeia factio. Duæ hîc turbarunt grandes, R, roſæ duæ. quæ in vnam arctiſſimè mixtę, per ipſam veram mixtionem commixtæ ſanguinis, placarunt omnia. Duæ cauendæ vnciales hodie, & multo grandiores R, regnum Angliæ, regnum Scotiæ. Tu, Rex maxime, hæc copula, V T roſas Henricus abauus copulauit iunctiſſimè. Pax eſt nihil. [d] Et itaque ſuadebat Nicias, & ſocietatem addi paci inter Athenienſes, & Spartanos, vt firmiores eſſent inter ſe, aliis autem

[c] *Plut. Nu.*

[d] *Plut. Nic.*

[e] Alb. 3. de iu. bel. 13. terribiliores.[e] Fœdera firma nec sunt. vt alibi docui. & præ vnione sunt ipsa quoque nihil. Etiam simplex

[f] Tac. an. 11. quædam largitio ciuitatis nihil.[f] Legi disceptationẽ, quæ est apud Tacitum, & Claudii orationem de iure adipiscendorum in vrbe honorum tribuẽdo etiam comatę Gallię. Illic, quod dixi antea de exitio Lacedęmoniorũ, & Atheniensium, qui arcebant à se omnes. itidẽ & quod dixi de Romulo: *At conditor noster Romulus tãtùm sapientia valuit, vt plerosq; populos eodem die hostes, dein ciues habuerit.* Et ego isthic non desino sapientiam regis nostri admirari, qui itidẽ die eodem, quo rex effectus est Angliæ, cœpit dare operã vnioni, vulgare honores. Etiã tres P capitales cauendæ hîc, magna nomina facti-

[g] Aug. de gramm. onum in religione, quæ non secus ac[g] τρία κάππα κάκιστα, Puritani, Protestantes, & qui aliã trahunt certam P, proditores Papistæ. Pendent isti à nutu papæ. negant, obediendum principi, si nolit Papa: si Papa liberat sub-

[h] Bell. 1. de tra. im. 12. & 3. contr. 5. ditos à fide, quam debent principi suo.[h] *Papa etiã regibus præest: vt si causa Ecclesiæ id exigat, possit eos regnis exuere, atque omnibus imperare, ne illum vltra sequãtur. Summa eius est potestas disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum,* &c. Neque ego tamen aliud per hæc volo, quàm declarare, quemadmodum est eundum vlteriùs in ista, quàm itum est, vnione: aut ista, quæ nunc habetur, fida satis, firmaque minimè fuerit. Danda vltrò, citroq; & ista honorum sunt insignia spectabilia. Audi, quid de Ecclesia Au-

[i] Aug. 19. cõ. Fau. gustinus,[i] *In nullum nomen religionis, seu falsum coagulari homines*

possunt.

possunt, nisi aliquo signaculorum visibilium consortio colligentur. Alibi si processum non sit in arctiorem coniunctionem, etiam & causa fuerit: aut quia nec magna essent regnorum nomina, vt in Hispania: aut nec nomina regnorum, vt in Belgio. *Minora faciliùs perstant in communione.* Etiã pro suo commodo magno ([k] non arcana Busiridis, Iuliani apostatæ, aliorum dominationis, notata alibi, & fortassis alibi bona. *Diuide, & impera,* verbum vetus, ac summum arcanorum dominationis. [l] Ciuitatem scissam tenere, tyranni est. Sed diuinissimus rex noster procul inde, procul, vnire vult omnes, & omnia, humana, sacraque.) Sed aliquam diuisionem regnorum Hispaniæ pro suo commodo retinet illic volens rex. [m] Nam & legimus, varia nunc esse illic maxima vectigalia in exportatione, & importatione mercium ad regna singula, quod vnum esset ad regnum vnũ. Nec verò dubitandum est, quin priuatæ ibi aliæ sint causę, cur illa regna penitiùs non copulẽtur: quę hîc nõ sint causę, certè nõ sint tanti. Sunt quidem illic omnia hęreditaria hodie: at heri erant aliter, atq; aliter. Et neq; omnia fuêre sub vno rege, nisi postremis his annis, quũ & regna Portugalliæ adiecta sunt reliquis. Etiam illic tu aspice, quàm iure vno belli vario quæsita Nauarra, Granata, Portugallia. quàm iure vno successionis vario venerint regna reliqua. neque adhuc petes arctissimam fieri illorum omnium regnorum vniti-

[k] *Isocr. Busir. Amm. lib. 22. Diod. lib. 2.*

[l] *Bar. de tyr.*

[m] *Dam. à Goes hist. Hisp.*

onem: quam hîc expetimus. hîc, vbi omnia vno & vniformi iure in vnum ſpectant, & coëunt. Etiam pluria illic regna impedire poſſunt vnionem magis. *Vt eſt difficilius, plura iungere, quàm duo iungere.* Si cauſę nõ ſint, quę iunctionem regnorũ diſſuadeant, equidẽ adfirmare ipſe poſſim, ius eſſe iũctionẽ inducere. cùm quia vetita hęc, vt iunctio Eccleſiarum non reperitur; tum quia in iure naturæ, ac gentium reperitur hæc regnorum iunctio adprobata. At in Belgio, vbi vnionem voluiſſe dicitur Hiſpanus, hoc impediit illam, quod ſubditi vnionẽ noluerunt. qui & noluiſſe potuerunt per placita conuentionũ. Nemo mihi à Belgis ſubditis nec ſubditis ad alios ſubditos argumẽtetur. Noluerunt autẽ vnionem Belgæ, & cũ vnione regẽ: quia nomen inuiſum ſæpe, & quidem ſolum.[n] Mirũ: vt homines ſub rege viuentes, nomen regium, veluti libertatis priuationẽ, exhorruerint: inquit Plutarchus de Romanis: qui re vera regem ferebant Cæſarẽ, & eundem dici regem non ferebant. Et itaque Belgæ ſic: quia quantum creſcebant honore illo nominis regii, tantũ ſibi videbãtur decreſcere libertate. Et verè quãtũ creſcebãt ab vnitione, tantũ decidebant, & eo amplius multò à priuilegiis plurimis: q̃ vita ſunt earũ ꝓuinciarũ. Etiã illę ſeptendecim ſunt prouincię. hîc regna tantùm duo. Etiam peregrinum illic non probabant regem. Probaſſent fortè ſuum Burgundum:[o] qui non

[n] *Plut. Ant. Cabot. 1. diſput. 7.*

[o] *Serr. hiſto. Gall. in Lud. 11.*

non erectus in regem Galliæ Belgicæ, quod voluit, à Friderico tertio: quod idem Imperator inſolentia eiuſdē alia nō tulerat poſtulata. Sunt tamen eædem ꝓuinciç vnitę nōnihil & alibi,[p] & quum ſub vno circulo Burgūdico deuinctæ sūt Rom. imperio. Vnita etiā regna Hiſpaniæ ſunt nōnihil. Sed abeo ad alia argumenta. Aio, Angliæ commodam vnionem: per quā repleri viris fortiſſimis in eo terra hæc poteſt, in quo nō ſatis eſt plena habitatoribus.[q] Et hoc bene quęrendum eſt. Πόλις τὸ τῶν τοιούτων πλῆθος ἱκανὸς πρὸς αὐτάρκειαν ζωῆς ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν. Ne ſanè abblandiamur nobis: poſcit Anglia plures, quàm habet, colonos. Teſtis terra, teſtis mare.[r] Teſtes peregrinorum coloniæ: & adhuc paſſim inculta, ne dicā inarata. & pagi plurimi (vt audio hęc) teſtes, deſerti, ac deſolati: & de quib. etiam in aliquo Parliamento querelę oblatę. Teſtes piſcationes externorum ad littora noſtra: & hominū illorum hinc quęſtū ducentiū, viginti ampliùs millia. Teſtes reliquę nauigationes: quas ſuſtinere non ſat quimus, nō ſatis abundātes copia eorū, qui nauigare aquas, q ſeruare repoſtas valeant terras:[s] q vtrobiq; ius aſſererēt naturę cōtra iniquiſs. & abſurdiſs. vſurpatū monopolium Hiſpanorum. Illi niſi potenter probent vſurpationē, regula pro omnibus eſt, licere, quaquauerſum maria nauigare, & commercia habere cum omnibus.[t] Audiamus. Interim & audeamus ([t] quod ius certiſſi-

[p] Demetr. hiſt. Belg. lib. 1.

[q] l. 1. Sol. ma. Ariſt. Pol. 2. 3.

[r] Demet. lib. 3.

[s] Alb. 1. de iu. bel. 19. & Virg. c. 8.

[t] Dec. c. de appell.

mum eſt) tenere regulam & nauigare. Etiam tamen domi agamus nunc, vt ſint, qui vim iniuſtam vi iuſta repellere ſemper poſſint. [u] Meminerimus etiam, atq; etiã, claudum eſſe imperium, ſi non & maris ſit. imò imperium maris imperare terræ quoq;. Atq; ſi timetur fortaſſe, ne plures per iſtã vnionẽ adueniant, quàm ferendo fortaſſe ſimus. & in cauſis regnorum omnia etiam tutiſſima ſint timẽda. nec in his cauſis vox illa, [x] *Ita amicum habeas, poſſe vt fieri inimicum putes*, ſit hominis impuri, ambitioſi, cuncta ad ſuam potentiã reuocantis: quam ita accuſat Cicero in amicitia priuata, & Ariſtoteles. ſit verum in priuata etiam, [y] quod ſanctè Hieronymus ſcribit, *amicitia, quæ deſinere poteſt, vera numquam fuit*. Tamen rem hîc eſſe extra omnẽ aleam, putarim ego: qui video, patriam hîc, domum hîc futuram aduenis, adeoq; amorẽ hîc conſtiturum iiſdem [z]. *Hic amor, hæc patria eſt*, inquit Æneas de Italia, ad quam aduena nauigabat. [a] Inquiebat Claudius de liberis quorũdam adſcitorum Romanę ciuitati, *Manẽt poſteri eorũ: nec amore in hanc patriã nobis concedunt*. [b] Et horum præterea, qui huc veniẽt, corpus nõ erit ſibi iunctũ, à reliquo ſeiunctum corpore. itaq; nec ſuſpecti erũt. Diſperſi erunt in magno corpore pauculi. [c] Quod ſi fuiſſent Angli, huc inuocati à Britannis: ſi ita fuiſſent Gothi, ſuſcepti in orbem Rom. à Valente: ſi ita alii alibi: etiam nec mala dediſſent indigenis, quæ dederunt. [d] Atq; ſi eſt admirabile,

u Diod. lib. 2.
x P. Syr. Ariſt. 2. rh. 13. 21 Cic. Lal. Mag. 4. miſc. 18.
y Hierony. ep. 41.
z Virg. Æn. 4.
a Tac. d. 11. ann.
b Alb. de iu. bel. 17.
c Amm. lib. 31. Ariſt. 5. polit. 3.
d Vict. d. 5. Polit. 3.

vt non ita fuerit Romę: etiam fiat, quod illic fiebat, & idem erit nobiscum, quod fuit Romæ. Nam & dicendum est, quod Angli tractati malè mox à Britannis, Gothi à Rom. ad eum modum egerunt. Aut non considerandum hîc est de colonis vnis, sed & de conciliis publicis, & aliis, ad quæ per vnionem regnorum plures alterius gentis, certè (quod mihi narratur) plures nobilium admitterentur, quàm nostrę sint? Et ad nobiles hoc amplius, etiam antiquioribus, atq; splendidioribus titulis cum illi iidem pręfulgeāt plurimùm, fieret iam, vt publicè, priuatimq; aliis anteferrentur. Dignissimus consideratione nodus. & quem pro sua spectatissima sapientia rex dissolueret. Nā ego nō cēsuerim satis, etsi est nonnihil, quod in domo altera, nostris multitudine superabundantibus, cōtrariū eueniret. Ego pro nobilibus nostris opinor constitui iustè posse, vt qui ante vnionē essent nobiles, ii anteferrent aliis iuxta ordines dignitatum: &, qui comes hîc esset, is comiti Scoto prępiret, & baroni baro[e]. Vt enim est melius, popularis esse in ciuitate nobili, quàm nobilis in mediocri: & mediocris ciuis alicuius ciuitatis supremæ præit primario ciui ciuitatis mediocris: ita regni nobilioris nobiles præibūt nobilibus regni non ęque nobilis. [f]Spartę ego (inquit Plutarchus) minimum ciuem quàm Macedonum quemuis pręstantissimū duco [g]Quicquid Cæsar potuerit maluisse, in castello ignobili esse primus, quàm Romæ secundus.

e Dec c. 8. de iud Cur. de nob. p. 3. Ben de pri. iu. p 3. Alc. de V. S.

f Plut. Ar.

g. Plut. Cæs.

Ea enim nec eadem quęstio est nostrę. Rex porrò Scotię cedebat regi Angliæ. ergo & nobilis concedet Scotus Anglo nobili. [h] Vt regis ad exemplum formantur alii. vt hîc est quoq; dictum. [i] Si episcopus præcedit, ergo & capitulum: nã pars adiuncta est. Proximiores digniori digniores. [k] Etiam doctor nobilis pręfertur doctori antiquiori. Etiam alia sic sunt pro nostris. Etiam posset rex, arbiter, ac dominus harum dignitatum [l] verius, q̃ nobilitatũ, aliquos nostros splendidiorib. illis titulis ante vnionem decorare: qui eodem modo possent cum aliis honoratiorib. stare, imo illis omnib. anstare. Nisi hæc fortè sint contra vnionẽ: quæ separant Anglos à Scotis nimis, & apertè nimis. Ergo (quod dixi) rex ista viderit: & quomodo quid tribuat iuri Anglorum. Post vnionem qui fierent nobiles, illi non ex gente, sed ex tempore censerentur, omnes tum regnũ vnum Britanniæ. Et ita tandem stet argumentum hoc quartum. Sequitur quinctum ex eo, [m] quod Aristoteles reprehendit Socratem, qui statuebat eosdem in magistratu semper. quod est causa seditionum καὶ παρ᾽ ἄλλοις μηδὲν ἀξίωμα κεκλημένοις. Quod si igitur Angli habeant regem semper in sua terra, an tu putas laturos rem Scotos, animosissimos, & bellicosissimos viros? Nam illud quærere nec oportet, si rex futurus apud nos sit semper, in locis amœnioribus, & augustioribus, & ad res externas longè oportunioribus. Vt non

[h] Ceph. cons. 615.
[i] Chass. 4. cat. 46.
[k] Curt. d. p. 3.
[l] Alb. 4. de nup. 13.
[m] Aris. 2. Pol. 13.

non ſolam commoditatem ſoli ſit ſecuturus, ſed & neceſſitati ſit pariturus negotiorum. Hîc rerũ caput, hîc eſt.[n] *Immotum autem, fixumq́, principi, non omittere caput rerũ.*[o] In arbitrio dicitur prælati, vbi reſideat, quum vnitæ Eccleſiæ ſunt. qui ex locis, temporibus, aliis ſtatuit, & vt in maiore reſideat Eccleſia. Et hoc argumentum quinctum eſt. Eſt ſextum, quia per vnionem res probè aduersùm externos cõponitur.[p] Et in hoc Phaleam, legis latorem Chalcedonenſium, itidem notat Ariſtoteles, quod multa legis lator ille ſanciuit, vt ciues inter ſe ciuitatẽ haberent benè: ſed quod oportebat etiam proſpicere (quod non fecerat Phalea) ad finitimos & externos. Iam verò certũ id eſt, quod *regnũ vnitius idem & munitius* eſt contra omnes molitiones externorũ. Non audiet, non auſcultabit pars, quod externi contra alterã partẽ ſuaſerint. & membrum corporis nõ admittet verbum contra alterum membrũ. [q]In perpetuũ enim detecta praua ſunt cõſilia, quæ inibant à membris olim contra mẽbra. Tantùm videndum hîc fuerit, vbi in iſtam incidimus ſimilitudinem humani corporis, ne quod membrum habeatur vllo modo velut quidam excreſcens lien. quo excreſcente ſcilicet reliqui artus cõtabeſcerent.[r] Et cui propterea optimus imperator Traiann s parem faciebat fiſcum: qui ex priuatorum detrimento locupletaretur. Aiũt, eiuſmodi fuiſſe hîc ſtatum olim Eccleſiaſticum. quẽ

n Tac. an. 1.
o Vbal. de vnio. c. 8.
p Ariſt. 2. Pol.
q Liu. l. 2. Dionyſ. 6. Plut. Agi.
r Alc. l. 239. de V. S.

&sub tyrannide illa papisticæ Ecclesiæ frenarunt aliquando reges. Aiunt vrbem Londinum eiusmodi esse hodie splenem. Atq; ita huic malo per quædam parlimenta multùm prospicitur: quæ de ædificiis non ampliandis hîc, & de aliis quibusdam cauerunt pariter. Dicebat autem sapientissimus ille Cecilius Belgis, apud se iactantibus, vrbem ab aduentu ipsorum creuisse artibus, ac populo, sanè; sed decreuisse regnum reliquum, defecisse fortes colonos, destitui indies curā agrorum per eorundem artes sedentarias, quæstuarias. Etiam aiunt, esse hodie lienem eiusmodi statum illorum, qui ius Anglicanum profitentur. Cæterùm aio ego istorum nihil. at ipsam thesin spectandā propono. quæ Aristotelis, & certa est. [a] Σῶμα γὰρ ἐκ μερῶν σύγκειται, καὶ δεῖ αὐξάνεσθαι ἀνάλογον, ἵνα μένῃ συμμετρία. εἰ δὲ μή, φθείρεται. &c. Ego hoc ausim fortassis dicere, futuram Angliam lienem istiusmodi, & membrum excrescens, si alia non fiat vnio regnorum arctior, vt vtrunque sit vnum, non solum Angliæ sit regnum (vt ita dixerim) regnans. Ad hoc alii admittendi sunt. [t] Τὸ δὲ μὴ μεταδιδόναι, μηδὲ μετέχειν, ΦΟΒΕΡΌΝ. ὅταν γὰρ ἄτιμοι πολλοὶ καὶ πένητες ὑπάρχωσι, πολεμίων ΑΝΑΓΚΑΙ͂ΟΝ εἶναι πλήρη τὴν πόλιν ταύτην. Est vnio necessaria sanè, quum pars vtraq; constare aliter nequeat, & in suo statu permanere.[u] Et oportet tamen, vt omnes constent partes, si respublica

[a] Arist. 5. Pol.

[t] Arist. 3. Polit. 7.

[u] Cic. 1. de off. Arist. 2. Pol. Omph. 1. de po. pr. 7.

publica habet esse diuturna. Atque id alii, id Aristoteles habet inque notatis capitibus reipublicæ Lacedæmoniæ. Εὐδαίμονα δὲ πόλιν οὐκ εἰς μέρος τι βλέψαντας δεῖ λέγειν αὐτῆς, ἀλλ᾽ εἰς πάντας τοὺς πολίτας. Aristoteles[x]. Οὐ μὴν πρὸς τοῦτο βλέποντες τὴν πόλιν οἰκίζομεν, ὅπως ἕν τι ἡμῖν ἔθνος ἔσται διαφερόντως εὔδαιμον, ἀλλ᾽ ὅπως ὅτι μάλιστα ὅλη ἡ πόλις. Plato. ὅλην τὴν πόλιν εἰσελθόντας θεάσασθαι, καταδυὼ εἰς ἅπασαν, καὶ ἰδόντες. Exemplum autem est apertum in eodem illo humano corpore: quod periclitatur totum, si pars habuerit malè. [y] Δεῖ δ᾽ ἐν τῇ πολιτείᾳ τὸ μὴ δ᾽ αὖ βούλεσθαι πολιτείαν ἑτέραν μηθὲν τῶν τῆς πόλεως ΜΟΡΙΩΝ ὍΛΩΣ. Pars quę erit malè, seditiones agitabit certè: molitiones externorũ ad mittet certè. Volet par esse alteri cui parem se gessit diu. Volet, dedecus fugere, & dãnum, quod existimabit accidisse sibi, si regnatum se regnum cogitet. Plures orientur causæ tumultuum, ne dubitemus. Et hinc erit altera quoq; pars malè: quę vereri hæc cogetur, imò ferre. Si vnio non fiat, blandiri vtiq; oportuerit Scotis semper plurimùm: si blanditiis, atq; muneribus poterunt illi demulceri. Atque tum erit Anglia in damno: quæ non dederit suis vt ferendo non esset inuidiæ, si neque opes cõmunicaret[z]. Quæ obseruatio est Cardani in magnatum contra reges dissensionibus sempiternis. *Regis magnitudini aut in-*

[x] *Pla: de resp. 4.7.9.*

[y] *Arist. 4. Polit. 9.*

[z] *Card. encõ. Nero.*

uident, ſi nihil det: aut ſunt damnoſi, ſi dat. Quod ſi fiat vnio, & Anglia in ſuas opes nonnullas Scotos acceperit: iã da-
[a] *Io. And. c. 29. de præb.* bit ſuis: non dabit quidquam extra ſe. [a]Non alienat, qui non transfert in extraneos, ſed in ſuos: inquiunt
[b] *Bod. 6. de rep. 5.* noſtri. [c]Exteris dediſſe, cauſa traditur ſolens, & neceſſaria maximorum malorũ. Et hîc tamen neceſſe fuerit dare. Et hîc iſti etiam malè erunt, quibus dabitur: qui timere ſemper habebunt. Et itaque erunt affecti
[c] *Demoſth. exor. 46.* erga nos malè, etſi accipiant bona. [c]Nemo enim amicus eſſe ei poteſt, à quo malum aliquod exſpectat. Et erit igitur alteris perditio duplex, qui hoſtibus dederint. Si autem fiat vnio, & nec quidquam detur: etiam nec erit magis querimoniæ vllius occaſio, quàm quũ Angli nihil accipiũt in ſua Anglia, Scoti in ſua Scotia. Solam ſuam aliquã culpam, aut ſuam fortunam queri poterunt. *Vnio erit cauſa, vt poſſit Scotis dari minus.* Atque hoc
[d] *Cic. 1. de Off.* fuit argumentum ſeptimũ, [d]*Qui parti ciuium conſulunt, partẽ negligunt, rem pernicioſiſſimam in ciuitatem inducunt, ſeditionem atq; diſcordiam.* &c. Eſt vnio neceſſaria per argumentũ octa-
[e] *Ariſt. 2. Polit.* uum, de eodẽ magiſtro ſummo acceptum[e]. qui leges Hippodami Mileſii reprehendit, quæ excludebant multos à participatu reip. inquit autem, μὴ μετέχοντας τῆς πολιτείας πῶς οἷόν τε φιλικῶς ἔχειν πρὸς τὴν πολιτείαν; Et nos, *non participes regni Angliæ Scotos, quî pote amicè habere ad regnum Angliæ? Non participes regni Scotiæ Anglos, quî pote*
[f] *Pla. de rep. 5.* *amicè habere ad regnum Scotiæ?* Ἀλλὰ μὴν μέγιστόν τε πόλει

αὐτὸ

αὐτὸ ὡμολογήσαμεν ἀγαθὸν, ἀπεικάζοντες δὲ οἰκουμένην πόλιν σώματι πρὸς μέρος αὐτοῦ λύπης τε πέρι καὶ ἡδονῆς, ὡς ἔχει. Et idem Ariſtoteles contra leges Cretenſium; μετέχων ὁ δῆμος τῆς μεγίστης ἀρχῆς βούλεται μένειν τὴν πολιτείαν. [g]Cicero etiam in ipſo hoc argumento de ciuitate communicanda: *Etenim, cum pro ſua patria pauci poſt genus hominum natum, reperti ſint, qui, nullis præmiis propoſitis, vitam ſuam hoſtium telis obiecerint: pro aliena republica quemquam fore putatis, qui ſe opponat periculis, non modò nullo propoſito præmio, ſed etiam interdicto?* [h] Quorum paria commoda ſunt, ii parem ſolent exhibere operam. vt audimus apud Dionyſium. & certiſſimum idem omnes cernimus. [i] *Facillima ſanè in ea republica poteſt eſſe concordia, in qua idem conducat omnibus:* etiam Cicero: & quis non? [k] Imperia beneuolẽtia coaleſcũt, &, quando idem expedit ſociis omnibus, diuturna concordia: Demoſthenes. Participanda igitur vtrinque reſpublica eſt: vt amor mutuus habeatur. qui vtiliſſimus proculdubio futurus ſit. Eſt vnio neceſſaria nũc, quum de ipſa eſt agitatum. Eſt neceſſaria hoc nomine, ne contemptam aut ipſa ſe ſuſpicetur pars, aut æmuli huius imperii contemtam valeant eidem calumniari. Valeant id calumniari, qui non velint eſſe hanc vnionem. [l]Carolus quinctus, Franciſcus primus impedierunt, cùm eidem operã daret magnam Henricus octauus. Quo de facto nos intelligimus aliud

g Cic. pro Bal.

h Dionyſ. lib. 5.

i Cic. 1. de rep.

k Dem. ad Phi. ep.

l Demetr. lib. 13.

argumẽtum pro vnione.[m] Ὅλως γὰρ ὃ οἱ ἐχθροὶ βούλονται ἢ ἐφ' ᾧ χαίρουσι τοὐναντίον τούτῳ, ὠφέλιμον φαίνεται. ἔστι δ' οὐκ ἀεὶ τοῦτο· ἀλλ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ,[n] *plerunque, non semper alioqui indubitata essent, non argumenta.* At hoc absoluo, quod proposui. Si clam habita deliberatio fuisset, & non placuisset vnio: consulere aliquis posset,[o] quod in casu haud dissimili Q. Fab. Maximum consuluisse recitat Liuius, vocem silentio omnium exstinguendã esse. & si quid vnquã arcani, sanctive ad silendũ fuerit, id omniũ maximè tegendum, occulẽdũ, obliuiscẽdũ, pro non dicto habendũ esse. Verùm quia res est peruulgata, nullum puto esse consiliũ aliud, quàm vt suspensi aliorũ animi, incertęq; voluntates iusto hoc officio deuincirentur: & certè, immobilesq; contra siue suspiciones, siue vaframenta efficerentur. Iustam, debitamq; dixerim vnionem ego eam etiam Latinorũ: quam Caruilius suadebat: & quam fremitus tamen totius curiæ, Manlii minæ, oratio Maximi, hoc est, optimatum ([p] vt vno verbo dicit Alciatus) factio repudiauit. [q] Sed & quam tamen postea inire Roma coacta est per Iliadas malorũ, & adprobare iustissimam. Nõ diuersa causa nostra est à causa Romanorum: [r] qui cum Latinis, Patritii, & cum sua plebe, communicare rempublicam detrectarunt aliquandiu: aut (quod idẽ retulit Alciatus) fraudolosè cõmunicarunt. Sit nobis vnio, &, veluti inter bonos sincera.[s] *Inter bonos benè agier oportet,*

m *Arist. 1. Rh. 6.*
n *Quinct. 5. c. 10.*
o *Liu. lib. 23.*
p *Alc. 2 disp. 21.*
q *Aug. 3. de ciu. 26. App. ciu. 1. Aug. de fa. R.* Mucia. *Alb. 1. de ar. Rom. 5.*
r *Dion. l. 7.*
s *Brisson 5. de form. Cic. 3. de Off.*

portet, & sine fraudatione. [t] Optarim verò, legi orationes apud Liuium tribunique plebis Canulei, & Latini hominis L. Annii. Neq; negauerim, etiā aduersarias legi. nā & in illis, & in istis multa est facies præsentis cōcertationis. Mihi est hactenus argumentum nonū pro vnione: quia nec temeraria, nec occulta emissa vox de ipsa est. Et neq; (vt hoc addā) nobis est cum Allobrogib⁹ res: [u] quibus Arpinas illudat aliquis. Si enim Africa planxit, Italia non risit. *S' Africa pianse, Italia non rise*, etiamnum, & veluti ex prouerbio dicit Italus. [x] *Nec mea securus ridebit funera victor*, dicet noster. [y] Sub Conquestore repleta dicit Scotia captiuis Anglicis: vt nec villula, nec domūcula illic diu potuerit sine his inueniri. Clades quis, quis funera fando explicet? aut possit lacrymis ęquare labores? Quis pro rerū atrocitate deplorare tātas calamitates queat? Verùm exstinguēda sanè ac penitùs delēda nūc omnis memoria illorū omniū tristis: abomināda omnis cogitatio est futuri illiusmodi. Dico autē adhuc vnum argumentū: aut dicet ipsa potiùs Scotia regi: *Hæccine remuneratio mihi pro eo, quod apud me natus, apud me es eductus in optimam istam ætatem, vt deserta viderer? Ego mater regum mille, & tuorum mille progenitorum, per te, maximum eorum omnium, hoc sim consecuta, vt mater regum esse desierim? Et quæ protuli, & ornaui reges aliis, eadem ab aliis reges meos accipiam, ab solo spectem alieno? Quod debes tu quidem mihi propter Angliam, id Anglia debet. Debes tu mihi hanc vnionem propter Angliā, propter quam me relinqs: quā relictā esse non oportet tamen, quātū hoc fieri potest optimè per vnionē. Des*

[t] Liu. lib. 4. 8.
[u] Cic. pro Fōt.
[x] Claud. 2. Ruff.
[y] Houed. p. 1.
[z] Vasq ill. 2.

vnionem, rex: des, pater: & pacem hanc æterno fœdere iungas. Paribus se legibus ambæ inuictæ gentes æterna in fœdera mittãt: quẽ tu orbem, IACOBE, cernes, quæ surgere regna coniugio tali? Scoticis comitantibus armis Anglica se quantis attollet gloria rebus: Diximus pro vnionis parte satis. Decem, & eo plura diximus argumenta. Ostendimus autem, nec futuram istam permutationem, Glauci, & Diomedis:[a] χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων. Nõ. Dederunt à se Scoti regem huc. Hîc caput Britanniæ esse concedunt. Arma, viros conferunt. Fœderibus aliis commodissimis, & vetustissimis renunciant futuri nobiscum, *&c.*

a *Ilia.6.*

Nunc respondeamus ad illa, quæ feruntur contra vnionem. In mutatione (inquiunt) aliqua faciẽda aut vrgens necessitas, aut euidens vtilitas desideratur. At in statu rerum præsenti neque grauamen aliquod inuenitur, neq; ex mutatione ista aliquid fit melius. Respondeo, peti in enunciato posse tertium membrum ęquitatis: vt ante indicatum est. Peti potest aliud mẽbrum probabilitatis.[b] vt sic scribit interpres iuris magnus, alterationẽ esse vel necessariã, vel vtilẽ, vel probabilem, vel temerariam. Et sic alia multa sunt.[c] Cæterùm quia illa partitione vtuntur auctores frequentiùs, & in simili tractatu vnionis Ecclesiarum, eadem vti possumus nos sanè. quando & alia quoque includuntur illic membra, & multo plura, quàm isti putẽt.[d] Ecce enim ipsa vna vtilitas in duas partes diuiditur, tutam,

b *Bald. l. 10. C. de test.*

c *Old. cons. 261. Menoch. 192. Dec. 2. cons. 41.*

d *Cic. 2. de inu. 3. ad Her. & part.*

tutam, & honestam. & tuta rursum alias habet partes: item honesta alias. in quarum dein singulis plura deliberandi capita statuuntur. Nos autem nonnulla iã attigimus, & alia nonnulla mox attingemus. Et steti- gitur enunciatum Et nos addamus vulgi rhythmũ, [c] [c] *Io. A. c. 28. de prab.*
Regula certa datur, qui bene stat nõ moueatur. Sed quid est, quod assumunt, nullum esse grauamẽ in præsentistatu rerũ? [f] *Theocr. id. 15.*
[f] Κάλλις', ἐνδοῖ πᾶσαι, ὁ τὰν νυὸν εἶπ' ἀποκλάξας. Vt possit prima frõte, aut pro parte Angliç, siue Anglorum quorundã videri verũ: ex parte Scotiæ certè verũ non est, vt ostẽdi. Nescio, si Anglis nõnullis vnio futura sit incõmoda. regno Angliæ commoda mihi visa est. Fortè nec terrç Scotiç, quç plurimis spoliabitur hominibus, qui in terram Angliã migrabunt, erit adeo vtilis, vt Angliæ, vt Scotis priuatim pluribus. Sed ego de publico gentis bono disputo. Cui publico dare quisq; debet priuatas incommoditates, rege prçsertim efflagitãte. Hoc modestiæ erit, moderatio priuatarũ cupiditatũ. Hoc fortitudinis, officiũ nullo priuato dolore deserere publicũ. Hoc iustitiæ, restituere cõsortiũ inter homines, quod ([g] verè Seneca) auaritia distrahit. Hoc huma- [g] *Sene. ep. 91.*
nitatis, vocare in cõmoda socios, [h] non leones agere. [i] [h] *l. 29. pro. soc. Scip. 2. pare. 24.*
Gratissimè, atq; humanissimè factum, vt omnes ad Rom. imperium pertinentes, societatem acciperent ciuitatis, & Romani ciues essent: scri- [i] *Aug. 5. de ciu. 17.*
bit Augustinus. Hoc demum necessitatis est, hoc, si temporibus accõmodare sese publicè, & priuatim o-

[k] Æsch. de fa. leg. [l] Plut. Peri. Liu. lib. 34. Diod. lib. 12.
mnes necesse habent: [k] quod Æschines dicebat. [l] Et demũ hoc est prudentię, intelligere, mutationẽ esse nullã, vbi dulcia acribus non sint mixta. & nullã esse cuiusvis status constitutionẽ publici, quę non aliquibus sit ingrata. & purum bonũ nullũ vsquã. Sed si cõmoda vnio est, hoc satis est, absq; eo, quod sit bona. vt ita

[m] Aug. 9. de ciu. 4. [n] Sene. ep. 88.
loquar cum Stoicis nostris: [m] quibus bona alia, alia cõmoda sunt: [n] alia est cõmodorum conditio, alia bonorum. commodum est, quod plus vsus habet, quàm molestiæ. bonum sincerum esse debet. non est bonũ,

[o] l. 48. de V. S.
quod plus prodest, sed quod tantum prodest. [o] *Bona ex eo dicuntur, quod beant*, &c. Et quisque igitur commodo publico donet molestias priuatas, *cedat ius propriũ regi, patriæque remittat.* Et quod petunt, explicatè ostendi sibi de necessi-

[p] Scal. de ca. li. La. 166. Alb. 1. de iu be. 14. [q] Cic. 2. de inu. & part.
tate, de vtilitate vnionis, ecce satis ipsis est factũ. [p] Ipsi tamen meminerint, non petere etiã metaphysicam aliquã necessitatẽ, sed quam dicimus cõmuniter. [q] *Vt cibo vtantur non necesse est, nisi cũ illa exceptione extra quam si nolint fame perire.* ait M. Tullius. Atq; idem, *Quod permagni interest, pro ne-*

[r] Vb. de vn. c. 3. Menoch. conſ. 402.
cessario sæpe habetur. [r] Necessitas in Ecclesiarum vnione statuitur, si nulli sint, vel paucissimi, qui seruiant vtrique Ecclesiæ: Si altera desolata sit, nec facilè restauranda. Vtilitas in Ecclesiarum vnione statuitur, si non sint ob tenuitatem præbendarum, qui seruiant, digni

[s] Vasq. 1. ill
satis. Ego alia dixi tamen hîc aptiora. [s] Ego etiam hîc dixero, sufficere quamcunque occasionem ad iustifi-

ſtificandum principis beneplacitum. At in eo, quod dicunt de euidentia, videant etiam, ne demonſtrationes mathematicas poſtulent, in quo ſatis eſt probabilis diſputatio.[t] vt eſt ſatis in re politica. Etiam, atq; etiã videant, ne principi non credendum putent, dè cauſis huius vnionis aienti.[u] Nam apud ſubditos iuſta cauſa creditur in principe ſemper, nec de cauſis explicante. etiam in his, quæ iuris gentium ſunt. vt vani capitis eum, qui contra ſentiat, Vaſquius ipſe, non æquus principibus, iudicat. Hîc verò quî petentur explicari cauſæ, quæ plurimæ petant, ac penetrent arcana regnorum? Arcana, adeoq; non penetranda, minus petenda, minimè peruulganda. In quo differentia eſt vnionis Eccleſiarum, vbi abſque vllo periculo & incõmodo neceſſitas, atque vtilitas oſtendi poteſt: & vnionis regnorum, vbi agi idem nequit ſine magnis incommodis, & periculis multis.[x] *Arcanum neque tu ſcrutaberis VLLIVS VMQVAM.* & ſcrutaberis arcanum regis?[y] *Ne alieni regni (quod non conuenit) ſcrutentur arcana*: inquit lex.[z] Neceſſitas regnorum eſt, quam Ioſephus nuditatem appellat. & quæ tegenda eſt ſemper omnis, non reuelanda.[a] καὶ ἀντίφρασιν, minime nuda cõſpicienda. Et de qua tegenda ſic ſanè principes omnes cauẽt, vt numquã ſatis cauiſſe ſe putent: Plautini illius genus, dicẽtis,[b] *Qui cauet, ne decipiatur, vix cauet, quum etiam cauet. etiam quum cauiſſe ratus, ſæpe is cautor captus eſt.*[c]

t *Ariſt.* 1. *Eth.* 3. & 7. *Pol.* 7.

u *Alex.* 1. *cõſ.* 2. *Cur. ſen. conſ.* 49. *Vaſq.* 1. *ill.*

x *Hor. ep. ad Loll.*

y *l.* 4. *C. de commer.*

z *Gen.* 42.

a *Druſ. Hab.* 2.

b *Plaut. Cap.*

c *Menoch. conſ.* 402.

Est in Ecclesiarum vnione adhibenda cognitio causę: quę & alia multa poscit, & hoc, vt partes vocentur. At in regnorum vnione dico diuersum ius. Regis tota hæc mihi curatio videtur: cuius & regna sunt. Aut quid quæso est, quod vtilitatem, quod necessitatem poscat, atq; facit indictio, ductio, compositio belli?[d] Conficit alia eiusmodi rex solus, in quibus vrgẽs necessitas, euidens vtilitas postulatur. At satis est, si euidẽs res Regi est[e]. Nescis, vbi me premat calceus intolerabiliter: respondebat Æmilius ei, qui secum disceptabat, ne cum vxore diuortiũ faceret bona. nec addidit prætereà verbũ de causa. [f] Dixi nõnihil in tractatu De diuortiis, quod hîc inseruiat. At rex etiã dedit desiderio suorum, vt explicaret de nonnullis causis vnionis: & quàm nõ sit ita cõmoda regalis hęc sua soluta vestis, vt videtur commoda vulgo. Et nõdum res euidens est vulgo[g]? Euidẽs accipitur tamẽ secundùm subiectam materiã: [h] nec semper pro eo, quod manifestè liquet, & quod de facili potest probari: sed & pro eo, quod ex cõiecturis habetur, & probabili ratione creditur. Et subiectam hîc materiam diximus talem. Quid? Et petent adhuc, iudices sese fieri causaru. Etiam quum audierunt iudicium principale? Audiant.[i] *Disputare de principali iudicio non oportet. Sacrilegii enim instar est dubitare, an is dignus sit, quem elegerit Imperator.* At (inquam ego audenter) explicasse vt valuit rex causas, & id primum

d Brun. 1. de sedit. 9. Chas. 5. cat. 24. Vasq. 1. ill. 23.
e Plut. Æm.
f Alb. 6. de nup. 4.
g Bart. l. 25. sol. mat.
h Bar. Imo. Castr. Ias. l. 77. de leg. 1. l. 39. de no op. nu. Alb. l. 7. de quæst. Dec. 3. cõs. 34.
i l. 2. C. de cr.

mum dediſſe ſuis contra nonnullam arcanorum rationem: ita, alterum hoc annuere de iudicatione, per maieſtatem regiæ dignitatis non valet. [k] Epiſcopi dicitur arbitrium de neceſſitate, & vtilitate vniendi Eccleſias. cuius tamen poteſtas minor illic eſt, quàm hîc eſt regis. Atque nos de re hac dicemus iterum. Nunc plura reſpondimus ad primam obiectionem. Secunda verò obiectio eſt, quod nullum reperiatur exemplum vniendorum nominum duorum regnorũ ſeparatorum in vnum nomen: vbi coaluerunt regna per nuptias, vel per ſanguinis propinquitatem. Quid? Anglus aiet, regna hæc ſeparata: [l] qui, Scoticum eſſe Anglici feudum, contendet? Scoticum Anglici partẽ fuiſſe volet? Non vnionem hanc, ſed reunionem affirmabit? Sed nos obiectioni reſpondemus. quod ſit tamen cauſa faciendi iſtam vnionem, etſi hoc exemplum non ſit. Confice (vt in Scholis loquimur) ſyllogiſmum: *Si exemplum huius vnionis non eſt, vnio hæc facienda non eſt; At non eſt exemplum: Ergo.* At falſam Scholæ dicunt ſequelam maioris. [m] Ἦττόν τι οὖν οἴει ἡμᾶς εὖ λέγειν τούτου ἕνεκα, ἐὰν μὴ ἔχωμεν ἀποδεῖξαι ὡς δυνατὸν οὕτω πόλιν οἰκῆσαι ὡς ἐλέγετο; Benè ſanè hoc tãtùm Plato. [n] Et in rebus naturæ Seneca belliſſimè: *Quare quidquam nobis inſolitum eſt? quia naturam oculis, non ratione comprehendimus. nec cogitamus, quid illa facere poſſit, ſed tantùm, quid fecerit. Ignorat naturæ potentiam, qui illi non putat aliquando licere, niſi quod ſæpius facit.*

k *Vb de vn. c.11.*

l *Hot de feu. c.9. Bod. 1. de rep. 9. G. 8. 9. 10.*

m *Pla. 5. de rep.*

n *Sen. nat. 6. 7.*

Ignorat principum potentiam, qui illis non putat aliquando licere, niſi quod aliàs fecerunt. Et eā oculis, non ratione intuentur, dum pronuntiant inſolitum, ſi facit nunc princeps, quod factum antea non eſt. [o] *Quid poſtea?* (alius inquit) *Nulláne res noua inſtitui debet? Et quod nōdum eſt factum, id, ne ſi vtile quidem ſit, fieri oportet?* Et item alius ad ſimilia argumenta, [p] *Omnia, quæ vetuſtiſſima credūtur, noua fuere.* [q] Nos autem ſemper audiuimus, infirmum eſſe argumentum ab exemplo adfirmatiuè. Vt negatiuè ab exemplo ſit infirmiſſimum ſanè, & nihili. Nam primùm eſt arduum nimis, negare, eſſe exemplum in tanta factorum infinitate. [r] Atque ſi nullum eſt dictum, quod non dictum ſit prius, quanto minus nihil eſt factum, quod non ſit factum prius? [s] *Natura enim rerum conditum eſt, vt plura ſint negotia, quàm vocabula.* [t] Neque oblitus ſum tamen illud vulgi noſtri, factum oſtendi oportere. neque illud, incumbere ei onus probandi, qui dicit, non ei, qui negat. neq; alia huius generis dememini: quæ eſſe pro obiectione videri poſſent. Verùm nec ſunt illa inconcuſſa, & immota. nec in tam ampla (vt dico) infinitate rerum citari ſolent. In qua infinitate tu audis & contrariam his ſententiam prouerbialē: [u] quę multā habet probationē. παροιμίαι μαρτυριά ἐστίν. [x] vel quia ſunt velut omnium, cùm habeāt auctorē incertum. vel quia non duraſſent in æternum, niſi veritatem habere viderent omnibus. [y] Adde huc

illud

[o] Liu. lib. 4.
[p] Tac. ann. 2
[q] l. 13. C. de ſent.
[r] Ter. prol. Eun.
[s] l. 4. de præ. ver. Scal. de ca. li. L. 91.
[t] l. 12. de capt. l. 2. de probat.
[u] Ceph. cōſ. 32. Ariſt. in Rh.
[x] Quinct. 1. cap. 2.
[y] Herodo. 5.

illud Herodoti, Nihil eſt, quod non contingere poſſit intra longum tempus.[z] Et illa Auguſtini, *An verò eſt credibile, alicubi eſſe, quod hîc nõ eſt? & incredibile eſt, aliquando fuiſſe, quod nunc nõ eſt?* Et idem etiam cum ſupradictis ſui Platonis, *Neq; quia experientia probari non poteſt, ideo credendũ non eſt?* Sed quare nos probemus factum: qui alibi ſtatuimus rationẽ faciendi? Qui à non facto negant faciendum, id probẽt nõ factũ.[a] Negatiuã probat, q̃ in ea facit ſibi fũdamẽtum. vt vera dicit̃ regula, nec vmquam fallẽs, & quę tenet̃ ab omnibus.[b] Atq; probare negatiuã impoſſibile per naturam dici ſolet.[c] Probat̃ illa, dum adfirmatur, eſſe actus adfirmatiuos, ex quib. illa negatiua reſultet.[d] Probatur ex oſtẽſione librorum, in quibus nõ ſit id, quod eſſet, ſi eſſet factum. Eſto. Probet̃ & aliter. Sed quis legit, aut legiſſe poteſt libros omnino omnes? Nã id notatũ poſſit eſſe vel in medicis, vel in aliis libris, quod in hiſtoricis notatũ non eſt. Et quis omnes legit hiſtoricos? monumẽta omniũ gentium omnia? Aut quis nũc admonitus ab iſto librorũ helluone admirabili, & cunctarũ memoriarũ, poteſt de eadẽ conſtituere negatiua? Et quota præterea particula hæc eſt, quę ſupereſt, quę noſcit̃ rerũ geſtarũ?[e] Indicaui alibi quoque de iſto argumẽto vaniſſimo.[f] Qui primi fuerint reges in orbe, nequaquã cõpertũ habem⁹, cùm hiſtorici nulli eos tradãt. impoſſibile q̃ppe eſt, literas ęquè, ac primos reges, vetuſtas fuiſſe.[g] Nin⁹ nact⁹

[z] *Aug. 14. de ciu. 26. & lib. 15. c. 19.*
[a] *Iaſ. l. 4. de re iud.* *Bologn. conſ.* 27.
[b] *Alex. l. 8. de V. O.*
[c] *Bar. 1 cõſ.* 102.
[d] *Soc. l. 6. C. de ed.*
[e] *Alb. de abu. men. c. 5.*
[f] *Diod. lib. 1.* 3.
[g] *Oroſ. 1. c. 1.*

ſcriptores primus. vt duo annorũ millia ab orbe cõdito vel omiſſa ſint hiſtoriographis, vel ignorata. Quid, ſi quis negaſſet, fuiſſe reges ante Ninum, non habitus ille fuiſſet homo vanitatis manifeſtæ: [h] etſi is vel Tertullianus fuerit? [i] Obiiciebatur autem ſcripturæ cuidam aliquando falſum: quoniam ϛύγχρονοι nulli tales eſſent litterarum characteres. Sed reſponſum ſic fuit, factum negãtis nullã eſſe probationem. Nec, ſi mille dicerent, ſe nihil vidiſſe eiuſmodi, idcirco probatur, ita factũ nõ eſſe. Poſſunt eſſe facta: neq; ad nos perueniſſe. Poſſunt perueniſſe, & latere. Et id genus ſic plura ſunt. Et negatiua hæc eius Scripturę non temporis infiniti, vt noſtra eſt, ſed valde coacti. Etiam verò infirmum hoc argumentum: quoniam potuerint caſus diuerſi à noſtro eſſe. vt ſi quid in illis factum non ſit, nõ propterea & in noſtro faciendum non eſt. [k] nec enim illatio fiat ex diuerſis. Aut lateant etiam cauſæ, cur factũ aliquid non ſit. Aut non ſint cauſæ tales, quales in omni caſu obtineant. vt dixi in caſu principatuũ Belgii, & regnorũ Hiſpaniæ. Audi rurſum de his regnis. [l] Reges Caſtiliæ & dicti ſemper reges Hiſpaniarum ab externis. quia ab illis reges fluxerint omnes Hiſpaniarũ. atq; ad illos regna iſta omnia pertinerent Hiſpaniarum. [m] Sed & domi Alfonſus, ſiue Adelefonſus, tertius, Alfonſus ſeptimus, Sanctius maior, reges, imperatores nuncupati Hiſpaniarum. [n] Caroli quincti imperatoris

h *Tert. de palli.*
i *Don. conſ. de iu. paſc.*
k *l. 20. de min.*
l *Sanct. hiſt. Hiſp. p. 1 c. 16. 17.*
m *Sanct. p. 3. c 31. Marin. Sic. lib 8. Rod. lib 7. itẽ Tarapha.*
n *Diplo. ante pa. Flor.*

peratoris

peratoris diplomata eum nominant regem Hiſpaniarum, abſq; alia ſpecificatione ſingulorum regnorũ, imò abſq; vlla vel tacita indicatione. Quę tamen ſpecifica nomina, ſi adiiciuntur aliquando, de nominatione generali nihil propterea mutant. An verò hoc quoque fieri, veteribus nominibus ſeruandis, apud nos velint? Et velint regem dici Britanniarum, Anglię, Scotiæ? Res tanti tamen non videtur, vt propterea, imitatores aliorum eſſe, atq; dici velimus. etiam cõtra ſupradicta incommoda iſtorum nominum. Nam ego velim maiorem hîc vnionem, quàm Politiarum in ciuitate velit Ariſtoteles. [o] Δεῖ δ' ἐν τῇ πολιτείᾳ τῇ μεμιγμένῃ καλῶς ἀμφότερα δοκεῖν, καὶ μηδέτερον. [p] Modicè confuſas ait Cicero. Ego, neutrum apparere regnum, velim. penitiſſimam confuſionem iſthic velim. Et itaq; illa alia tollenda erunt omnia in vnione, quæ cõtra vnionem ſint. Tollendum Scotis erit, quod audio illis eſſe priuilegium, ne tributa ſoluant regi, ne dent militem, ne bellum nõ de aſſenſu ordinum indictum ſequantur inuiti, & ſi quæ ſunt talia. Eiuſmodi ſtare non poſſunt, & vnio. nec in vnione iuſta ſunt iuſta. Apparebit enim manifeſta ſeparatio regnorum. & alterum iam conferet publico nihil. Onera omnibus communia communiter ferenda dicit vnio Poloniæ, & Lituaniæ: monetam æqualiter communiter recipiendam: communes hoſtes, & amicos habendos. [q] Idẽ

[o] *Ariſt. 4. Polit. 9.*

[p] *Cic. 2. de rep.*

[q] *Siml. de rep. Helu.*

in republica Heluetiorum, vt de pace, & bello pagi o-
r Iust. lib. 34. mnes statuant simul. [r] Et idem in republica olim A-
Paus. lib. 7.
chæorum. Quæ publicum non attingunt, ea esse di-
uersa posse, dixi. Et sic in eadem illa vnione Polonica,
Heluetica, Achaica quædam non vnita. Cæterùm di-
camus adhuc quædã alia exempla nominum iuncto-
rũ in vnum. Magnus Etrurię nunc audit, qui antea Flo-
s Gagu. lib. 3. rẽtinorum, & Senensium dux ferebatur. [s] Quid regna
Serr. & Sigis.
&c. 10. 3. q. 6. in Gallia, Arelatense, Austrasię, Aquitanię, Britannię,
Neustriæ, & tot principatus alii in vnum qui conces-
sere nomẽ? Regna Parisiorũ, Suessionum, Aurelianẽ-
sium, Metẽsium: tributa fratribus non semel, & in vnũ
postea & corpus, & nomẽ reuersa iure pariter sangui-
nis. Genuę (si parua licet componere magnis) nomina
pluriũ familiarũ, concordiæ firmandæ in ciuitate se-
ditiosissima, cõtracta in vnũ: etiã quod nullius vnita-
rũ familiarũ fuisset. Vrbes magnæ, Athenæ, Venetię,
aliæ in vrbem vnam, eamq; noui nominis, ex diuersis
t Duar. s. de pagis coaluere. [t] Prouincias vnit plures Iustinian⁹ no-
ben. 6.
Bart. nou. 8. ster. Vbi interpretes, quod & in antiquis reperiantur
Alb. l. 3. de
off. ads. Dec. monumentis itidem exẽpla populorum, qui coïerũt
a. cons 41.
in vnum. Et quod princeps potest vnire duas prouin-
cias simul. Quod autem in familiis, in vrbibus, inpro-
uinciis, in principatibus verum est, id in regnis non
u Tex. Gars. fieri, quę ratio est? Sed & in regnis id factum ostendi-
1.
mus. Sed & ostẽdamus hoc ipsum adhuc. [u] Garsias rex
Nageræ, & Alauæ, filius etiam Pompeiopolis, alii post
Nauarræ.

Nauarrę.[x] *Iohanne Arragoniæ rege, Ferdinãdi patre, mortuo, & illius regni, omniumq́; suorũ principatuũ possessionibus acceptis: quibus titulis, & quo ordine vti deberent*, Ipse, & vxor Isabella, *in litterarũ, & priuilegiorum expeditionibus, ad proceres, consiliariosq́; suos retulerunt. Quorũ cùm plures eos Hispaniæ, cuius maiorẽ partẽ possidebant, principes appellandos, censuissent: hoc ambitionis, & arrogantiæ nomen esse, existimãtes, ne Portugalliæ, Nauarræq́; regibus iniuriam facerent, admittere noluerũt.* Sic historia. Et hîc igitur sic: vbi rex noster tenet Britanniã totã, rex Britanniæ nuncupabit. Quod factũ fuisset, si impedimẽtum nõ exstitisset, pro facto haberi debet. Sed illa in nomẽ vnũ vnio regnorũ, per successiones, & nuptias partorũ, facta fuisset in Hispania, si impedimentũ Nauarræ, & Portugalliæ nõ fuisset. Ea factaq; nunc est quum cessauit impedimẽtum.[y] Idem autẽ Ferdinandus ante receptã Siciliam noluit dici rex eius insulæ. At rex noster tenet Britãniam. Vides causas non facti in Hispania fuisse? Et illinc, quod causis impedimenti cessantibus fiet rectè hîc? Dixi, alias esse causas posse vnionis non initæ: quæ apud nos nõ sint. At videamus, si & domi nostræ quid sit. Et est pro certo iunctio in simplex Angliæ nomen, postquã iũcta in vnum sunt, quę plura erant, Saxonum regna, & regnorum nomina. Quis hoc ignorat?[z] Etiam legimus in historiis Anglicis verba hæc, *Ego Edgarus totius Albionis basileus.* Et ita sæpius apud Ingulphum nostrum Oxoniensem. Etiam, *Ego Edgarus totius Albionis monarcha.* Etiam MAGNÆ BRITANNIÆ.[a]

[x] Marin. Sic. lib. 19.

[y] Vall. lib. 2. de gest. Ferd.

[z] Malmesb. lib. 2.

[a] Plin. 4. c. 16.

Albion ipsi nomen fuit, quum Britanniæ vocarentur omnes, de quibus mox paullo dicemus, ait Plinius. intelligit autem omnes in hoc mari insulas. vt eas etiam Ptolomæus Britannicas omnes appellat. Sit ista & dicta magna, quæ cæteris omnibus est maior. aut respectu tantùm Hiberniæ: [b] vt idem Ptolomæus (quod me docuit Sauilus doctissimus) in almagesto hanc magnam, Hiberniam paruam Britanniam indigitat. [c] *Hiberniæ spatium, si Britanniæ comparetur, angustius.* [d] *Hibernia dimidio minor, quàm Britannia.* Et sic quoq; per antonomasiam hæc dicta Britannia. In sermone autem Edgari verius sit, dictam hanc magnam ad differentiam eius, quæ est in Gallia. Vbi fortè & id fuit nomen primò, quum Britanni emeriti milites Cōstantini Magni illic collocarentur. Magnā non putem dictam veluti primam, ac secundam legimus Britanniam, & itaque vicarium Britanniarum in imperii notitia, [e] alibi. nam sint illæ partes huius insulæ, non diuersæ terræ. [f] Idem porrò Edgarus apud alium est *monarchus Britannum*[g]. Et apud alium tamē, *Anglici orbis basileus*. Quod nos Angli nomen mallemus sanè. Sed nollent Scoti idem nobis. Sed nec Scotia videretur sic comprehensa. Sed historicus aliquando sic adsumit nomen Angliæ, non publicū, regisve monumentum aliquod. Et ecce foris iam, ecce domi, quod quæritur. Ecce ipsus REX MAGNÆ BRITANNIÆ Edgarus. Qui regem Scotorum, Cumbrorum, omnes reges

b *Ptol. 2. alm. 6.*
c *Tac. Agric.*
d *Cæs. lib. 5.*
e *Amm. lib. 29.*
f *Ethelwer.*
g *Houeden.*

reges Wallensium (vt loquitur Malmesburiensis) ad curiam coactos, vno, & perpetuo sacramento sibi obligauit.[h] Edgaro etiam Scoti colla dedêre: non solùm omnes reges Angliæ fuêre subditi. Itaq; præ Edgaro appellantur isti ab Houedeno *subreguli*, rex Scotorum, rex Cumbrorum, rex alius insularum plurium, & alii quinque. *Ego Edgarus* (scribit ipse apud Malmesburiensem) *totius Albionis basileus, nec non maritimorum, seu insulanorum regum circumhabitantium.* Et apud Ingulphum itidem, *Ego Edgarus totius Albionis, finitimorumq; regum basileus.*[i] Quæ si nouisset magnus canonici iuris interpres, non ex glossis eiusdem iuris regulum dixisset regem Scotorum: quæ non de rege Scotorum loquuntur, sed Schaccorum. Sed nec soli Edgaro sic vasalli isti omnes, at aliis etiam fuerunt regibus Angliæ.[k] *Nec non colla subdunt Scoti, pariterq; Picti, Æthestano regi.*[l] Etiam Cnuto, ille quidem Dacus, at Angliæ rex, rebellantem subegit Scotiam, & regem eius.[m] Subditi ei reges Scotiæ. Etiam Guilielmus Conquestor non modò Walliam legitur subiugasse, verùm & Scotiam.[n] Etiam de aliis sic, & alii, & amici Scotis, & Scoti ipsi: de quibus antea adnotaui, quum egi de feudo Angliç. Etiã alia sic. Quæ mihi ad hũc finẽ notantur solùm, vt liqueat, fuisse nec ita priscè insulã istam sub vno & rege, & nomine etiam prisco. Nam quid præterea regna tu confiteris vnita, sed per belli ius, & victoriæ, non per nuptiarum, & adfinitatum?

[h] Huntind. lib. 5.

[i] Cors. 3. de po. re. 23.

[k] Ethelw. 4.

[l] Malm. 2.

[m] Hunti. 6.

[n] Ann. Ger. 1339.

Rarum hoc, & hactenus visum valde singulare in Austriacis: vt audimus de versiculis, *Bella gerens, perdis, nubens capis, Austria, regna. Austria, nube: duces bella gerant alii.* Sed tamē & hoc altero modo in Gallia, alibi. Etiā electiua, vt Polonia, & Lituania, vnita, etsi non in vnum tamen nomen. Ducatus Lituaniæ vnitus, appropriatus, incorporatus regno, & coronæ Poloniæ. vt Lituani nō habeant principē, nisi datū à rege Poloniæ cum cōcilio Polonorum & Lituanorū: & Poloni nō eligāt sibi regē sine cōsilio ducis Lituaniȩ, & Lituanorū. Vnita tu cōfiteris sanè sēper. Et ego dico tibi, nō esse hîc quȩstionē de potestate, verùm de causa vniendi. Et igitur si eadē ratio est vniendi vtrobiq;, quid spectes, & vrgeas factorum diuersitatem? [o] Vbi eadem ratio est, ibi idē ius sequitur. Sed eadem ratio est vniendi regna hæc hæreditaria, & regna quæsita bello: cōmodior, tutior, dignior rectio. Atq; vt cōmunio sub plurib. habet discordias, ita sub vno cōtra est. Et de his apparet ex ante dictis non paucis. Et secunda sic est itidem variè soluta obiectio. Tertiò autem obiicitur, quod mutatio nominis regii ex necessitate ineuitabili introducit noui regni fundationē, & veteris exstinctionē. Neq; possit huic rei iri obuiam vllo modo. Quȩ obiectio minimū habet difficultatis. & refutari posset negatione sola. [p] Mutatis nominibus hominum, quæ pro libitu sumuntur, & deponuntur, res non mutatur. Nomina, quæ

[o] *l. 32. ad leg. Aq. l.* 108. *de V.O.*

[p] *l. 4. vbi DD de leg.* 1. *Bal. proœ Dig. Soc. iu. rub, de V.O.*

quæ ſpeciem ſignificant, ſi mutentur, ſpeciem mutāt. Si nomen regni mutetur in ducatus nomen, exſtinguitur regnum. At ſi regna, quæ nunc nuncupant Angliæ, & Scotiæ nuncupentur deinceps vnâ nuncupatione Britanniæ, nullo modo exſtinguūtur.[q] Mutatio in nō ſubſtantialibus nihil conſtituit noui. Vis in nomine nulla eſt. Etiā nec mutat ſemper vetus nomē adſumptio noui, *&c.*[r] *Sēper aduerte, an ſit mutatio circa accidēs, an circa ſubſtantiam. vbi circa ſubſtantiā, non eſt eadē res. Sed vbi circa qualitatē, ſic. Nā aliud ſit, res eſſe alia, aliud habere ſe aliter:* Sic noſter Angelus. & ad idem alia plura, & certiſſima. & quæ nos alibi ſcripſimus de imperio Rom. nunc poſt tot, ac tantas mutationes eodē, quod fuerat à principio.[s] *Cuius rei ſubſtātia eſt eadē, mutata qualitate res nō deſinit eſſe eadē:* Romanus ſic.[t] *Intelligitur res eadem, non diuerſa, licèt aliter habeatur vel in toto numerali, vel vniuerſali, vel integrali, vel indiuiduali:* Caſtrenſis ſic. Idem eſt iudicium, licèt omnes iudices mutati eſſent. Idem eſt populus nunc, qui abhinc cētum annis fuiſſet. Eadem eſt nauis, etſi ſit adeo ſępe refecta, vt nulla tabula eadem permaneret, quę nō noua fuiſſet. Idē nos hodie ſumus, qui fuimus antè: quamquam ex quibus particulis minimis cōſiſterem⁹, hę quotidie ex noſtro corpore decederent, aliæq; extrinſecùs in earum locū accederent. Quæ de Alfeno iuriſconſulto.[u] Et cū quibus Hieronymus, *quod ætatum diuerſitas non mutat corporum veritatem. cùm enim corpora noſtra quotidie fluant, & aut creſcant, aut decreſcant: ergo tot erimus homines, quot quotidie commutamur,* &c[x].

q *Dec. 1. cōſ. 11. & 5. pr 4. Io. A. c. 1. de iu. pa Bar. l. 59. C. de dec.*
r *Ang. l. 76. de iudi. Alb. 1. de iu. be. 23.*
s *Rom. d. l. 76.*
t *Caſt. d. l. 76.*
u *Hier. ep. 27.*
x *Sen. ep. 59.*

Seneca verò, *quod, quæ videmus, ac tangimus, non sunt propriè, fluunt enim*, &c. Ad cuius exemplum nos, non hęc, quę audimus, propriè esse, quæ fluunt: regna nō esse nomina fluida. Quid? in supradictis si sic est, mutatio in nomine rem extinguet? [y] Dicitur quidem Hermolaus Barbarus physicè contrà disputasse in exemplo nauis eius, [z] quę Deliaca dicta apud Athenienses seruabatur æterna. idem tamē respondit etiam hoc, ita constitutū iurisconsultis: quia eadē sit ratio in eiusmodi refecta naui, atq; in alia est, quæ nihil mutata est. Physicos acutiùs, & ad viuum, & quantum poscit veritas definire. Sed leges, quantum probabile, & æquitas suadet. Quod & verum est, & dictum ab aliis, & à nobis alibi est. [a] *Aliter leges, aliter Philosophi:* Cicero: [b] *Iurisconsulti non Philosophorum decretis, sed populari captu, ac sensu ciuilem sapientiam metiuntur:* Bodinus. Valet autem id hîc satis. [c] Et tamen de ipsis magistris nos didicimus quoq;, non vno modo dici IDEM, sed quadruplici. item, alia magis, alia dici minus IDEM. Vt, si nauis non sit eadem vno modo, sit eadem alio modo. Si non sit eadem priore modo, sit eadem posteriore. nec vmquam sit exstincta. [d] Eandē dicit & Tertullianus, atque nos in resurrectione erimus idem: *Nauem sine carina, sine prora, sine puppi, sine compaginis totius incolumitate, procella dissipatam, carie solutam, redactis, & recuratis omnibus membris* EANDEM *sæpe conspeximus, etiam titulo restitutionis gloriantem.* Inquit, *etiam titulo restitutionis*. quod

est idem

[y] Alex. ab Alex. 3. gen. 1.

[z] Plut. num se. ge. sit resp.

[a] Cic. 3. de off.

[b] Bod. 1. de rep. 5.

[c] Arist. 1. Top. 6. Boet. de trin.

[d] Tert. de res. car.

eſt idem eſſe: [e] vt ipſe idem ſcribit cum aliis iuriſconſultis. Etiam de carina ait Theologus hîc, & Philoſophus, & iuriſconſultus. [f] de qua tamen lex hodie videtur aliter conſtituere. Idem Tertullianus: *Periſſe eſt in totum non eſſe, quod fuerit. Mutatum aliter eſſe poterit. Mutatio paſſus eſt, non perditio.* IN TOTVM non eſt regnum Angliæ, ſi appelletur Britanniæ? Si alias patiatur mutationes? Ergo nec perierit, aut exſtinctum erit. [g] Mutatio eſt effectio, vt aliquid differat ab eo, quod erat. Sic euenit ei, quod mutatur, vt vel ipſum fiat, quod non erat, cùm mutatur ſubſtantia: vel in ipſo fiat, quod erat, alteratione. Vt ad hos duos modos, mutationis in ſubſtãtia, & mutationis in accidente, reducuntur omnes, qui in omnibus generibus prædicamentorum ſunt modi. Mutatur ſubſtantia, veluti cùm è terra fit herba. aut ([h] quod noſtri afferunt) quum ex ouo ſit pullus, lac ex ſanguine. vt itaq; licet papicolis oua, lac comedere, dum pullum non licet, aut ſanguinem. Mutatur accidens in quantum per augmentum, &c. quæ explicat mihi Scaliger magnus. Dicamus de augmento aliquid noſtrorum. [i] Commiſſio facta epiſcopo Pragẽſi, hoc creato archiepiſcopo, durat. nec enim augmentũ tollit. Et ſic iudicatum pro eo, qui pactus dare Schaccum mattum cum pedina: & dedit cum hac facta regina. Etſi quidam contra diſſerunt. [k] Etiam de noſtris, quum mutatur in quali, quod mutatio domi-

[e] *Alb. 1. de ar. R. 6. & lib. 2. c. 6.*
[f] *l. 24. de leg. 1.* Alex. §. ſacram.
[g] *Scal. de ca. li. La. 102.*
[h] *Alb. Bru. de mut.*
[i] *Io. A. add. Spe. de iu. del. §. 6. Bal. l. 3. de ſenat. Alex. 5. conſ. 32. Dec. c. 14. de off. de leg.*
[k] *Bal. l. 18. de re. vi.*

nii de directo in vtile non impedit condemnationẽ, ex eadem instantia. Sint enim eadem in substantia, sola qualitas mutata sit. effectualiter sint idem. Nos verò ex solius iam nominis mutatione exstinctionem rei meditamur? Imò reales simus, haud iam nominales [l]. Diuersitas nominum non resistit, si idem est status: inquit Tertullianus: item, etsi sit natura diuersa, sit & forma non eadem, dummodo ipsius status vna sit ratio.[m] Atque ad nomina alibi eleganter: *Si leges nomẽ puniunt, non solum iniquæ, sed etiam stultæ sunt. Quis nominum reatus est?*[n] Scribit etiam, mutari esse perire pristino statui: quem, dum res mutantur, amittunt. & omne, quodcunque transfiguratur in aliud, desinere esse, quod fuerat, & incipere esse, quod non erat. transfigurationem esse interemptionem pristini. Cæterùm hæc vel de mutatione in substantia intelligi, de transfiguratione in aliud: vel in accidente, quatenus ipsum accidens perit, desinit, non quod & res ipsa interimatur.[o] Scilicet accidentia possunt miraculosè, nõ aliter, subiectum immutare: inquit ipse Papa.[p] Transfiguratio in forma facit, rem desinere.[q] Mutatio in totum, est nouum facere, *&c.* At in obiectione leuiore sumus nimis. Et hæc tamen inseruient contra obiectionem aliam. Quarta obiectio est, quod ex ista vnione confusiones variæ, absurditates, & incommoditates, per quandam necessitatem ineuitabilem incurrent statim. Et plurima aggerantur, quæ non demon-

[l] *Tert. co. Herm.*

[m] *Tert. apol.*

[n] *Tert. adu. Pra. & co. Herm.*

[o] *c. 6. de cel. miss.*

[p] *l. 13. de V. S.*

[q] *Dec. & alii l. 3. C. de ed.*

demonstrantur omnia. Quid enim vel confusionis, vel absurditatis, vel incommodi hîc in conuocatione parliamentorum? Quid in aliis? [r] *Pareto legi, quisque legem sanxeris.* vt vox omnium dicit tibi. Hęc omnia explicatè ostende, obiector, nobis. [s] Ne tibi Tullianus aliquis puer, nostro omnium leguleiorum ordini inimicus, câtet, enunciatis mysteriis omnia cōtempta fore, atq; abiecta. Nam de sigillis quid est, quę iā mutata vidimus? Insignia non solùm auxerunt sæpe reges, verùm etiam mutarunt penitùs. Audi ex illa eadem historia Ferdinandi, & Isabellæ: *Sigilla, quibus litteræ priuilegiaque signantur, & imprimuntur, item clypeos, stratoria, pannosque cæteros, quibus magna palatia, regiæque domus exornari solent, castellis, leonibus, aquilis, baculis insigniri iusserunt, in Castellæ, Legionis, Aragoniæ, & Siciliæ memoriam.* [t] Et apud alium: *In hac vltima* (pluries enim consociata antea, & dissociata) *adhuc durante vnione regni Legionis, & Castellæ, etiam arma regia mixta ex castellis & leonibus.* Et his postea admixta Aragoniæ, & Siciliæ: vt audisti. [u] Specta ad leones nunc, seu leopardos Angliæ. Duo illi erant. modò tres sunt. & adiecta lilia sunt. Quorum omnium nec quicquam dicitur Anglicum. [x] Specta lilia circumposita leoni Scotico. [y] Lilia olim Galliæ plura: quæ hodie tria tantùm sunt. Fuit antea leo. Fuerunt bufones. Plura hæc sunt, plura. [z] Vt nomina, ita insignia sumunt, & mutantur ad placitū. In legibus mox, cōsuetudinibus, libertatibus, & priui-

r *Aus. Pitt. l. 1. quod qui. iu. Alb. l.* digna vox. *Diod. lib. 13.*
s *Cic. pro Mure.*
t *Alf. à Cart. c. 83.*
u *Chass. 1. cata. 38. conc. l. 17.*
x *Meur. paneg. IAC. VI.*
y *Tex.* Hildericus. *Chass. 5. cat. 31.*
z *Bar. de insign.*

a *Malm. in fi lib. 1. & in prin. 2.* legiis regni quid est?[a] Omnes regnorum (quæ erant quattuor) Angliæ varietates Egbertus vni quadrans imperio, ad vniforme dominium, seruans vnicuiq; proprias leges, vocauit. Audin' conciliationem? & leges seruari varias? Et de legibus non videmus, & de

b *Boer. de sedit. §. 5.* priuilegiis passim?[b] Etiam in vna ciuitate factiones diuersæ habere possunt diuersas leges. Atq; supra quoq; de hoc respondi. Et in illis itaq; quid est, quæ teneri in Scotia possunt sub hoc prætextu, & generalitate nominis? Est difficultas itineris? At quanta hæc est vltra Berwicum, vbi teneri nunc possent? Est loci dignitas? At hæc Scotiæ est supra Walliam. & in Wallia teneri nunc possent. Quod tamen si illa omnia contingent imò Angliæ: nos vnum hoc non feremus, etiam Scotiæ posse lege contingere? Verēdum nobis est potiùs,

c *Liu. lib. 4.* ne illud audiamus tribunitium,[c] *Cur non lex quoq; abrogetur, qua id liceat, quod numquam futurum sit?* Sed in reciprocis

d *Houed. p. 2.* regis, & ciuium iuramentis quid est[d]? Aliquis noster Hēricus ter coronatus est. Iohannes ter coronatus est. Philippus Gallię bis coronatus. Alexis imperator Gręcus bis. Ne dicam de imperatore Germanico, quem oportet ter coronari. Illi autem repetiere coronationem, vel vt cum vxoribus pòst ductis coronarentur, vel cum aliis simul in participatum principatus inductis. Ne quis quid suspicetur, & regerat mihi de aliqua infirmitate coronationis primæ. Aut igitur alia coronatio necessaria nunc nō erit, aut ecce tibi exempla co-

coronatio-

ronationis repetitæ. Richardus primus cùm post liberationem à captiuitate iterum coronaretur, prodiit coronatus, & cum insigniis reliquis, nec vngebatur, at benedictionem solam accipiebat, reliquam pompā inibat primæ. Et ita igitur fiet hîc.[e] Pipinus in Gallia etiam vnctus iterum. De quo facto excitat quidē tragœdias vir doctissimus, atque sanctissimus Franciscus Iunius. Sed profectò etiam non tyranni (vt audisti) hoc faciunt, nec malâ causâ, vt bis coronentur. Cæterum de his omnibus erunt dicenda plura fortassis, quum ista fuerit euoluta obiectio. Quincta autem obiectio est, quod possit Angliæ regnum transferri per vnionem istam in eos, qui Scoti sint, Angli nullo modo sint: à sanguine, quod trahit rex Henrici septimi, in sanguen paternum regis. Quo id tamen modo? Anglica quadam lege?[f] Erramus legulei, quum fori iura eadem, & regni facimus. Non cernimus?[g] Iure ciuili, quod dici hodie meretur gentium, est quidem dubiū, si materna maternis, paterna paternis redeāt. attamen Bartolus, & alii magni doctores sic censent. & æquum dicunt, vt res redeant, vnde prodeunt.[h] Alii tradunt, succedere in bonis omnibus pariter omnes. Quæ sententia nec potest hîc habere locum. quoniam regna non diuidūtur.[i] Iure feudistico, quod vbique seruari valde solet in causis principalibus, Anglica Anglis, Scotica Scotis redeūt proculdubio. Et sic

e Bell. 1. de tra. imp. 2. & ad cun. Iun.

f Alb. 3. de lega. x. & 1. de iu. be. 1.

g Rom. cons. 40. & ibi add Alex. 2. cons. 150. Ias. l. 40. & ibi. add. sol. matr.

h Capr. cons. 34.

i De succ. feu.

vbique tenet ſanè conſuetudo. Atq; etiam cape tu illa vnionis Eccleſiarum:[k] Ceſſante cauſa vnionis ceſſat vnio. & ceſſante vnione reuertuntur in antiquū ſtatum omnia. Infirma hęc obiectio eſt omnino, non ſolùm ominoſa. Sexta eſt, quod fœderum iura, & cōmerciorū cum exteris vocari in controuerſiam poterūt, & variis calumniis ſubiici. Cui reſpōdem⁹:[l] Μηδὲν ἐν ἀνθρώποις οὕτως ἐστὶν ἀναμφισβήτητον, ὡς μὴ δύνασθαι (κἂν εἰ τὸ σφόδρα εἴη δικαιότατον) ὅμως δέξασθαί τινα μεμεριμνημένην ἀμφισβήτησιν. Nā reſpice ad omnes ſpecies vnionis: & cenſebis, manere iura cum exteris, quę erāt ante vnionem.[m] Si ſcilicet regnū regno adiicitur, tranſeunt adiecti iura in alterū, cui fit adiectio. ſicut iura filii adrogati tranſeunt in patrē adrogatorem.[n] Et quod vnitur alteri acceſſoriè, id adſumit naturam rei principalis. Si autem fit vnio æqualiter, vt vniatur vtrunque ſimul iure pari, tum nec vtrum exſtinguitur. Et igitur vtrunque retinet iura ſua. Aut hîc ita erit, aut etiam abſque penitiore vlla vnitione erunt exſtincta hæc cum exteris omnia ab hoc ſolo, quod regna ſub capite vno coniuncta ſunt. Et non ſit rex Angliæ, non ſit rex alter Scotiæ, cū quibus ſunt icta fœdera: Sed Angliæ Scotiæ rex, cum quo nō ſunt icta fœdera. Quid tamen non & eſt remediū obuiū, ſi fœdera illa confirmentur? Id fit pluries, & quum alteratio nulla fit in re publica. Forte autem dubitari poteſt,

k Vb. de vn. c 1. & vlt. Cacc. ſi Alb. l. 83. de V. O. Gamb. de off. le. lib. 5. Decia. 5. conſ. 19.

n Nou. 44. Alb. 5. de nup. 2. Menoch. de arb. q. 7.

m Alb. 2. de ar. R. 3.

n Menoch. conſ. 26.

test, an sint exteri daturi potentioribus, quod non adeo potentibus tribuerunt? [o] *Virtus vnita magis infinita.* Quæ vnita sunt, maioris precii sunt, *&c. Ego fœdera faxo firma manu:* inquit rex. [p] firma de facto, rata de iure. Etiã erunt quædám meritó repudiãda, & reformãda. etiã quæ commoda singulo regno olim, stare nunc non benè poterunt, aut cum vnitis sic tantùm sub vno capite. Testes cum Gallis fœdera Scotiæ. Quod alterum argumentũ est, exstincta nunc videri hæc omnia cũ exteris. quoniã à quibusdã sit nobis necessario discedẽdũ. Et quod rursum cõsiderandũ pro Scotis est valde: ne illi & cadant cõmodis alibi, & apud nos hîc nihil adquirant, propter quos patiuntur incommoda alibi. Atq; ita etiã soluit obiectio sexta. Est septima, quod prærogatiua regis nostri, quâ Christianis aliis regibus præibat, & quæ antiquo cuiusq; regni iure stabilita est, non autem regni magnitudine, potest in periculũ trahi: & sic locus eius fieri vltimus, quia regnum nunc esset fundatum nouissimè. [q] Ad quam obiectionem responderet magnus Hispaniæ iurisconsultus, imò à præsenti magnitudine iudicãdum esse de ista pręcedẽtia. Sed id ego non dicam tamẽ: quod est falsissimũ cũ aliis eius disceptationib. multis. Nos diximus, reginã illam nostram præire oportuisse regi Hispaniarũ. Dicimus, non fieri nouum regnum per istam nunc vnionẽ. Nõ fit noua domus, si ostiũ aperitur, per quod in

[o] *Boer. de sedit. § 1. Decia 1. cons. 15. Rip. de flum.*
[p] *Dec. c. 14. de off. del.*
[q] *Vasq. praef. ill.*

ipſam de altera tranſeatur, & de ipſa in alterã id, quod quæritur per vnionem, vt aditus de Scotia fiat in Angliam, & in Scotiam de Anglia. Scoti hîc tamquam domi ſuæ, Angli in Scotia ſint vt Scoti.[r] Sic aſſimilat vnionem duorum monaſteriorum Baldus vnitis domibus: quæ & duo remaneant monaſteria, non fiant tertium aliquod nouum. Fieret regnum nouum ab vnione, ſi in omnia, & per omnia eſſet vnio. Sed & dicimus, à rege, Britanniȩ qui nũcupabitur, teneri locum regis Angliæ, ac Scotiæ regis. Nam Anglia eſt Britannia, & Scotia eſt Britannia. & ipſa quidem magna, ſiue Albion, non aliqua Britannides:[s] quo vocatam nomine Hiberniam, Britanniam paruam à Cæſare, dicunt.[t] Et nos ſic audimus, in cõtractu verborũ, ſtrictiſſimæ obſeruationis, de eadem intelligi reſponſum re, quũ interrogatio fuit de duodecim denariis, ſequuta eſt reſponſio de ſolido. Atque adeo eſſe prouerbium, *Tanto è* SVPPA, *quanto* PANE E VINO.[u] Synonyma hæc ſunt, identica, reciprocãtur[w]. Commiſſio facta vni habenti duas dignitates, durat hoc mortuo, & collatis dignitatibus in perſonas duorum. nam hi ſuccedunt in locum illius vnius. Item & contra. Dicimus, & nouum hîc regnum, in locum veterum ſubrogatum, tenere iura veterum, per vulgarem regulam ſubrogatorum,[x] quod ſubrogatum ſapit naturam eius, in cuius locum ſubrogatur. ſapit in omnibus priuilegiis, quali-

tatibus

r *Bal.4 cõſ. 354.*

s *Ethel.4.*

t *l.65 vbi Ang & Imo. de V.O.*

u *Ariſt.1. Top.6.*

w *Dec.d.c.14.*

x *Decian.3. conſ.43. Dec.d.c.14.*

tibus.[y] Imò eſt eadem res. Idem hîc eſt ſtatus monarchicus, regalis: eadem poteſtas: eadem omnia in omnia, & in omnibus, ſubſtantialia, formalia.[z] Quæ ſi contigiſſent Florentino duci, ambienti ex iure veteris reipublicæ Florentinæ præcedentiam ſupra Ferrarienſem ducem; certè iuriſconſulti maximi adiudicaſſent ei litem: qui abiudicarunt, quòd ſtatus ducis non eſſet idem reipublicæ. Nouus ſtatus eſt, ſi de populari mutetur in monarchicum. Et tum nec ſubrogatum (vt illi volunt) tenet ius eius, in cuius venit locum. quum & diuerſæ naturę eſt. Quæ hîc transformatio, mutatio nulla talis. etſi nomẽ mutetur, vnio hæc fiat[a]. Facit quidem ſubrogatio eiuſdem nominis, vt res eadem videatur, quæ non eſt eadem. Sed, ſi alia non eſt res, ſubrogatio nominis alîus non facit, vt res alia videatur[b]. Φανερὸν ὅτι μάλιστα λεκτέον τὴν αὐτὴν πόλιν εἰς τὴν πολιτείαν βλέποντας. ὄνομα δὲ καλεῖν ἕτερον, ἢ ταὐτὸν, ἔξεστι καὶ τῶν αὐτῶν κατοικούντων αὐτὴν, καὶ πάμπαν ἑτέρων ἀνθρώπων.[c] Et (quod ait Krãtzius) *nihil intereſt in vocabulo, rex, an dux quis cenſeatur, dum eodem iure, & imperio rerum poteſtatem teneat.* Tantum abeſt, vt mutet quidquã mutatio nominis proprii. de quo antea dicebamus. Henricus octauus dominus dictus Hiberniæ, & poſtea rex. quid noui illic? At hîc dicimus vltimò, nouum hoc Britannię regnum non futurum, quod fuit, & nũc reficitur.[d] Non cenſetur nouum, quod reficitur, &c.

[y] *Soc. l. 18. de cond. & dem.*

[z] *Decia. 3. conſ. 19. Ceph. 6. 5.*

[a] *Dec. c. 14. de off. del.*

[b] *Ariſt. 3. polit.*

[c] *Krantz. 5. Sueu. 23.*

[d] *Iaſ. l. 6. de iuſt. Alb. de no. co. fa. l. 40. de cond. ind. l. 83. vbi alii, de V. O. Ceph. conſ. 12, 27.*

Octaua sequitur obiectio, quod obscurabitur Anglicũ nomen, si aliud resumatur Britannię. Quæ sanè me commouit obiectio, & ratio, quętenet sensus omniũ, etiã nostrarum legum.[e] Audi apud Poëtam: *Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum: Cùm iam connubiis pacem felicibus (esto) Component: cùm iam leges, & fœdera iungent: Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos, Neu Troas fieri iubeas, Teucrosq; vocari. Sit Latiũ, sint Albani per secula reges. Sit Romana potens Itala virtute propago. Occidit, occideritque sinas cum nomine Troia.*[f] Audi leges: *Si nominis ferendi condicio est, quam prætor exigit: rectè quidem facturus videtur, si eam expleuerit. nihil enim malè est, honesti hominis nomen adsumere.*

[e] Virg. Æn. 12.

[f] l. 63. ad Treb.

» *Sed tamen si recuset nomen ferre, remittenda est ei condicio.* Pro
» Anglia obtestor, REX, te, pro maiestate tuorum: qui
» Angli sunt: qui maximo nominis sui splendore orbẽ
» terrarũ compleuerunt cunctum: qui gentes bellico-
» sissimas, prouincias ingentes, Gallias, Hispanias, O-
» rientẽ, armis, atq; virtute pacarunt. Pro maiestate tu-
» orũ obtestor TE: cùm iam connubiis pacem felicibus
» (esto) Angli cõponent, & Scoti: cùm iam leges, & fœ-
» dera iungẽt, ne vetus indigenas nomen mutare Anglos, neu fieri Britãnos iubeas, Britãnosq; vocari[g]. Nõ
» decet victores ire in nomen deuictorũ. Nõ exigit hoc
» prætor. Honestum victi nomẽ victori nõ est. Sit An-
» glia, sint Anglicani per secula reges. Sit Anglicana po-
» tens Scotica virtute propago. Occidit, occiderit-
» que sinas cum suo Britannia nomine. Etiam Britanni Prophetæ Merlini (interest reipublicæ Christianæ) vana fiat Prophetia, de Bruti insula suum rece-

[g] Serv. Æn. 12.

ptura nomen. Hæc obiectio. Cæterùm illud notemus primùm, quod in regem noſtrum non modò per Henricum Septimum ſanguis Britannicus, ſed & Britannicus ſanguis regalis conriuat per Stuartum. Britannicus regalis eſt ſanguis rex noſter, & Anglicus regalis, & Scoticus regalis. Non omnia Angli ſunt. Et, ad Angliam quod attinet, conſideremus adhuc duo. Vnum, quod pauciores hîc ſint Angli, quàm putantur. Alterum, quod, ſi vtile ſit, mutare nomen, ſit & mutandum.[h] Audiamus illa Ciceronis: *Eſt* πολιτικὸν ζκέμμα, *rectumne ſit nobili adoleſcenti, mutare nomen mulieris teſtamento. Sed id* φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν, *cum ſciemus, quantum quaſi ſit in trientis triente.* id eſt, quantum ſit vtilitatis, & quanta ſit quota illa teſtamento relicta. Nec enim tunc fuerit lex, quæ condicionem remitteret. At verò ipſique Angliæ vtile eſſe plurimum, ſi hæc quæ nunc ſunt, nomina ponerentur, antea oſtenſum eſt. Oſtendamus iam, quàm non multi ſint Angli in hac terra.[i] Et inquit Anglus hiſtoricus: *Anglia exterorum habitatio, & alienigenarum dominatio.* Flandrenſes quidem, regno pro multitudine oneroſi, deducti omnes in prouinciam Walliç ab Henrico primo.[k] Sed Daci, Gothi, Wandali, Freſi, Norwagenſes annis ducentis, & triginta terram hanc *deſolauerunt.* Daci, *operientes terrã quaſi locuſtæ, occupauerũt eã ſibi. vt pars populi trans mare fugerit.*

[h] *Cic. 7. Att. 8.*

[i] *Malm. 2. ſ.*

[k] *Hunt. 5. 6. 7. Houed. p. 1.*

Exterminium Anglorum tempore filii Edgari à Dacis: qui ex multis partibus venerunt, & *operuerunt Angliam quasi nubes cæli.* Et exercitus multos Angliæ in *exterminium redegerunt.* Gentẽ Anglorum *disterminare* proposuerat Deus. Deus, gentem Anglorum *non populum esse,* iussit. Deus gẽtem Anglorum tradidit Nortmannis *ad exterminandum.*
[l] *Ethel. 1.* Integræ partes plures non Angli.[l] Cantaurii non sunt Angli. Sunt alii Saxones. Et Anglia dicta à primis, qui
[m] *Ingulph.* venerunt ex Anglo saxonia.[m] Northumbrii, Nortfolcii sunt Dani. Contemptam gentem Anglicam pepulerunt Nortmanni de dignitatibus, *&c.* apud Anglos historicos. quæ persuadeant nominis mutationem eius, cuius vix quidquam videtur superesse rei. Rex, no-
[n] *Huntin. 6.* bilitas omnis est Nortmannica:[n] *Nec iam vix aliquis princeps de progenie Anglorum esset in Anglia, sed omnes ad seruitutem, & ad mærorem redacti essent. ita etiam, vt, Anglicum vocari, esset opprobrium.* Quibus igitur nomen seruetur Anglicum, si
[o] *Virg. Æn. 8.* maxima populi pars, si cuncta ferè nobilitas, si aliũde est rex?[o] *Sæpius & nomẽ posuit Saturnia tellus.*[p] Argessa, Ianicula,
[p] *H. Iun. 1. anim. 22.* Ausonia, OEnotria, Hesperia, Saturnia, tandem Ita-
[q] *Dion. 2. Str. 6. Fest. Alb. 1. de ar. Rom. 5 & lib 2. c. 5.* lia est dicta.[q] Romani posuere partem in Sabino fœdere. Itaque Quirites nomine Sabino in vrbe se appellabant: Romanis foris erant. Et Messana vrbs man-
[r] *Gerund. 1. Isid. 9. orig. Tara. Vasæ.* sit: Sed ciues Mamertini dicti sunt à colonis nouis.[r] Et Iberi quondam, Celtæque pro agris bello certantes, pace demum constituta, & communicata inuicẽ patria,

patria, nomen ex ea communione ſortiti ſunt Celtiberorum. Volumus nominari nos Anglo-ſcoti, vt erant olim Anglo-ſaxones,[s] & Scotobrigátes apud Senecam, & ſimiles? Si non repugnant ſupradicta de incommodis horum nominum.[t] Multa vbiq; mutata nomina, multa, & nihil eſt re iſta inſtabilius rerum omnium. Quod dum non ignorabat Propheta Britannus, etiã hoc potuit prophetare de Bruti Inſula. Sciebat, eſſe rerum omnium viciſſitudinem. Cognoſcebat, inſulam vnam redire facilè potuiſſe ſub dominatum vnius: adeóq; in commune omnium partium eius nomen. Plura hæc ſunt ciuilis, non diuinæ ſapiẽtiæ. Quid? & non etiam ſomnia fortè prophetant aliquando veritatem?[u] Ὥσπερ γὰρ λέγεται, ἂν πολλὰ βάλλῃς, ἄλλοτ' ἀλλοῖον βαλεῖς.[x] Etiam præmonuit Deus de iſtis prædictoribus.[y] Lutherus, quod ita Brigitta, & alii tales prędixerint mutationem religionis. Quid ni hanc Diabolus, qui de Scripturis intelligere potuit reuelationẽ, & deſertionem Antichriſti? Hinccíne Prophetas alios Chriſtiana religio venerabitur?[z] Quid ſi alia, quæ facta cernimus, prædixerunt iidem? Sed non ſunt omnia referenda. Satis obiectioni eſt factum octauæ.[a] *Æneas*, dictus fuiſſe omnium ſui temporis ſapientiſſimus, *ne ſub eodem iure ſolùm, ſed etiam nomine omnes eſſent, Latinos vtramque gẽtem appellauit. Nec deinde Aborigines Troianis ſtudio, ac fide erga regem Æneam ceſſere*, &c. Sic

s *Scal. in Tibu.*
t *Aug Gen. q. 113. Exo. 63. H. Iu. 1. animad. 15.*
u *Ariſt. de diu. per ſomn.*
x *Deut. 13.*
y *Slei. lib. 5.*
z *H. 6.*
a *Liu. lib. 1. Scal. 3. poet. 12.*

neceſſe,ſic.aut poſiti à rege longiùs,regem longiùs à nobis amabunt. Nona autem eſt obiectio, quod prærogatiua Anglici ſupra nomen Scotici amitteretur per vnionem. Quę obiectio eadem eſt præcedēti. Et verò ſæpe fit eadem. credo, vt altiùs figeretur ſenſibus: quæ pertentat ſenſus potentiſſimè. aut etiam, vt obiectiones viderentur plures; quæ plures vnâ non

[b] *Ariſt.3. rh.* ſunt tamen [b]. Περὶ οὗ γὰρ πολλάκις εἴρηται, ἀνάγκη καὶ

[c] *Flor.l.34. de ſer.ru.pr. Decia.3. conſ.17.* πολλὴ δοκεῖ. Quod ſi alia res obiicitur: [c] tum reſpondemus, per vnionem non exſtingui iura vniti al-

[d] *Ariſt.2. polit.* terius ſupra alterum. nec ſtatum vnitorum mutari. [d] Quicquid in vnione nimia ſcribat Ariſtoteles, ἀνάγκη, ἀμφοτέρους ἐφθάρθαι, ἢ τὸν ἕνα. Manent ſingula in vnione. Aliàs diſſoluta vnione redire in eadē non poſ-

[e] *Alb.l.2. ad le.Aq.* ſent. nec enim ſit regreſſio de priuatione ad habitū. [e] Etiam ſequimur in vnitis naturam eius, quod eſt humanius, & fauorabilius. Ergo miſcibilia non ſint exſtincta. Etiā ſic dicebat Oldradus, quod vnio corporū nō cōfundit hęc ſingularia. Etiā ſic plura ſunt alia.

[f] *Eraſ. præf. lib 3. Iren.* Vnio non eſt mixtio. Eſt mixtio amplius quid. vt dixi. [f] Sic duriùs locuti olim Theologi, q̄ ſcripſerūt, aut naturā humanā & diuinā mixtam, aut Deum homini permixtum, aut hominem Deo commixtum. hodiè rectiùs, naturam humanam diuinæ vnitam. quicquid Eraſmus audeat, nullā vocem magis impiā eſſe. niſi benignè interpretemur. Quæ tamē ſinimus Theologis

ipſis.

ipsis. Hîc vnionem dicimus, nec intelligimus mixtionem illam miscibilium alteratorum[g]. Temperationẽ (si vis) intelligimus, vt vini, & aquæ: vbi nec aqua sentitur, nec vinum: & manent tamen vtrunque: itaque separari possunt: & spongia oleo imbuta, & papyrus aquam puram attrahit. Non sentiuntur autem propter partium tenuitatem. Intelligimus (si placet) appositionem, vt saltatorum in choro. Exquisitam temperationem, exquisitam iunctionem non intelligimus. vbi traditur, omnia cõmutari, neq; permanere, quæ erant. Quæ & finimus Philosophis.[h] Et quę tamẽ tractantur etiam à nostris. Eadem porrò tandem est & decima obiectio de ingrato apud omnes futuro nomine, & sonaturo absonum. Sed audi, quisquis es, artificiosissime cõtradictor:[i] impossibilia, quæ videntᷣ, redduntur facillima tẽpore. nec vlla re vtili abstinẽdũ est ꝓpter apparẽtẽ difficultatẽ: inquit Polybi⁹.[k] Quàm multa fieri nõ posse, priùs quàm facta sint, iudicãtur? inquit Plinius.[l] Omne opus difficile videtᷣ ante quàm tentes: inquit Vegetius.[m] *Audendũ tamen. namq;* (vt Cicero ait) *etiam quæ primò dura visa sunt, vsu moliuntur*: inquit Quinctilianus. Et tamen, quid eiusmodi esse possit in Britanniæ nomine, nõ facile ostendetᷣ. Nomen est terræ antiquũ: linguis celebratũ politis:[n] *Clara Græcis, nostriq; monumẽtis*, ait Plinius de Britannia.[o] Huc in Britannicã ibatur pro disciplinis ex Gallia.[p] Britãnorũ ἀνδρείαν τε καὶ θυμὸν prędicãt auctores, & eos appellãt μαχιμωτάτους.[q] *Inuictus Romano marte Bri-*

g Nemes. de inuct. cor. & ani.

h Host. su. de su. tri.

i Polyb. lib. xi

k Plin. 7. c. 1.

l Veg. c.

m Quinct. 1 c 5.

n Plin. 4. c. 16.

o Cæs. lib. 6.

p Herodia. lib. 3.

q Tib 4. l. 1.

r Tac. Agr. *tannus*, audit à Tibullo.[r] *Nec aliud aduersus validissimas gentes pro nobis vtilius, quàm quod in commune non consulunt.* &c. apud Tacitum. Et id genus alia apud alios in laudem gẽtis antiquissimæ. Antiquum nomen, nec ita vnquam antiquatum, vt non sæpissimè auditum sit semper, ac lectum.[s] Facile autem, fauorabile, pium est redire ad antiqua.

s Iasl. 27. de pact. Alc. 2. de V.S. Chas. 1. cat. 38. concl. 44. Decia. 1. cons. 17. Ceph. cons. 680.

Atque iam satis. Iam audiuimus argumenta decem, aduersantia vnioni refutata: plura pro vnione, adfirmata. Iã & tu iudica, quisquis es perit⁹, & prudẽs, si refutata aduersaria nõ essent, an tamẽ paria his essent firmitate, quæ allata sunt pro vnione. Et cogita ante omnia, quod rex est pro vnione. cui⁹ potestas hîc summa est[t]. Vnire vnione vniuersali est de iurisdictione superioris domini. Et res est proculdubio hæc ciuilis iuris. vbi principis potestas proculdubio absoluta est. Si rationes pares essent, nec principis hîc esset potestas solutior, adhuc ille posset gratificari, cui mallet parti[u]. Vt ita, quum litigatores sunt pares, locus gratificationi est. quum paria vota sunt doctorum in cõtrouersa aliqua quæstione. quum sunt paria suffragia patronorum in presentatione aliqua, *&c.*[x] Et Papa potest (scribunt interpretes) vnire Ecclesias per omnes species vnionis: qui habet in beneficiis plenam, & absolutam potestatem.[y] Et plenam, & absolutam potestatem

t Menoch. cons. 28.

u Bal. l. vlt. C. de te. ma. Flor. l. 11. D. ad le. Aq. Rip. de flum.

x Cacc. de vn. a. 3. 4. Vb. c. 4. 5.

y Bod. 1. de rep. 8.

ſtatem habent reges. quod & oſtendi ego ad legem primam. Aut eſt regum poteſtas minor, quàm imperatoris? eſt maior.[z] At Claudius Galliæ, Veſpaſianus vniuerſę Hiſpanię ius tribuit reipublicæ.[a] Tributa hęc, alia origini principum, & hîc tribuenda. *Et in orbe Rom. qui ſunt, ex conſtitutione imperatoris Antonini ciues Romani effecti ſunt.* Ciuitatem dare omnibus potuit imperator, & dedit ſemel omnib. Rex etiã hîc dat ciuitatem, quib⁹ vult omnibus. ergo dabit, ſi volet, ſemel omnibus. Etiã abſq; cõſilio alicuius. vt antea eſt indicatum de iſta principis poteſtate. Aut quid nequeat rex iſtud, ſi iſtud expreſsè exceptum de eius poteſtate nõ eſt?[b] Etiã verò inferiores à Papa poſſunt facere Eccleſiarum vnionẽ cũ cõſenſu capituli vtriuſq;. Sed & poſſunt iſta iidem cõpellere ad conſentiendũ, ſi cauſa adſit vniẽdi iuſta. Etiã inuitis omnibus facere vnionem poſſunt, ſi cauſa non adſit contradicendi iuſta.[c] Scilicet cõtradicentes ſine iuſta cauſa habentur pro non contradicentibus.[d] Audi: & ipſi compelli prẹlati poſſunt, & negligentiæ accuſari, ſi cauſa poſcit vnionẽ, nec eam faciunt.[e] Sic & ipſi ſubditi ſæpe poſſunt per ſe: quia vtile eſt principi, vt ſint vniti. Adde vnum, quod & poteſtas eſt cuiq; adoptare ſibi filios. Igitur & poteſtas principis, ſibi adoptare ciues.[f] Et eſt adoptionis, & vnionis ſimilitudo. vt in ea vnione tradũt, quãdicũt, pliũ. Et quę item ſimilis huic noſtrę eſt.[g] Eſt illa vnio com-

[z] Pli. 3. c. 3. Tac. ann. 2.
[a] Nou. 1. vbi Cuia.
[b] Cacc. a. 6. Menoch. conſ. 192.
[c] Imol. l. 2. ſol. ma.
[d] Cacc. a. 5. Vb. c. 3.
[e] Menoch. conſ. 28.
[f] Rich. de vn. prol. c. 9.
[g] Rich. c. 1. 2. 3. 7.

mentum inauditum Romanis legibus, & plurimùm aduersum. Sed validum tamen: quod occasiones tollit discidiorum, & litium grauissimarum: reducit autem ad aurei seculi communionem. Est illa, quæ filios mariti, & filios vxoris iungit in ius vnum, contracto altero matrimonio, succedendi, ac si ex eo vno matrimonio omnes fuissent. Et verò ecce hîc eiusmodi vnio instituitur, vt filii Angliæ, & filii Scotiæ, quasi ex vno regno essent, ita & se habeant per coniugium hoc nouum (da Deus) aurei regis IACOBI.

Ita mihi videtur: homini sanè scholastico, & peregrino, id est, neq; politico satis, neq; satis intelligenti istorũ statuũ. Sed qui cupiã bonum omnium, atq; pacem bonam: Britannicę gentis consanguineę faueam nomini: Scotos semper dilexerim: emori libenter pro Anglis possim: REGEM verò venerer ante omnes. Et itaq; ([h] summa quæ est politiæ rectè compositæ) regis subditos omnes coniunctos inuicẽ, adiunctos REGI omnes velim: *si Iupiter vnam Esse velit Tyriis vrbẽ, Troiaque profectis: Misceri ve probet populos, aut fœdera iungi.* Verum Iehouam oro supplex, vti quę REGI, & consultoribus, & statibus placuerint, ea ille adprobet, beneque euenire sinat per IESVM CHRISTVM, Amen.

[h] *Bod. 6. de rep. vlt.*

DE



DE VI CIVIVM IN REGEM SEMPER iniusta,

DISPVTATIO III.

DE variis principum generibus, & de variis generibus ciuium, non est hîc nobis curiosiùs distinguendum: vbi indistinctè quærimus, si iusta esse vis ciuium vmquam possit in principē: &, nullâ ciuium, nullâ principum habitâ distinctione, vim omnem ciuium iniustam semper in principem esse, defendimus. Monemus tamen, atq; excipimus illa duo: nec esse quæstionem de eo principe, qui magistratus magis, quàm princeps est: etsi princeps, etsi etiam rex, non magistratus nominetur. vt princeps hodie à Venetis,[a] rex olim à Samothracibus suus magistratus appellabatur, & alibi: quod notaui alibi. Sed neque de illo principe loquimur, qui iudicem aliquem habeat, aut custodem. [b] quemadmodum sub custode faciunt quidam regem Galliarum, & plurimi Belgæ principem suum. At alterum, quod

[a] *Liu. lib. 55. Alb. disp. Mac. c. 2.*

[b] *Mola. de fi. hær. ser. lib. 4. c. 5. & lib. 5. c. 21.*

monemus, hoc est, esse sanè quæstionem istam de legitimo principe, nō de tyranno. verùm deeo legitimo tamen, qui principatum gerat tyrannicè, id est, rēpublicam lędat. Et qui non is est, à quo nonnulla fiunt cōtra leges, atq; iustitiam. [c] Nec enim vllus homo est, qui nihil iniustum agat. Et nec vllus status est, in quo aliquid nō sit iniustū. [d] *Qui vnū, qui plures occidit, nō tamē reipublicæ læsæ re⁹. s. d cædis est.* * Quicquid in libera ciuitate vis nulla vmquam inter ciues suscepta non contra rēpublicā M. Tullio laxiùs iudicet. Dico igitur, quod ciuiū in principem istū nisi magnis rationibus adprobetur vis iusta, sane fuerit tenendum intrepidè, iustam vim esse non posse. [e] Scilicet regula est fundatissima, & certissima, vt principem honoremus, principi ne maledicamus quidem. [f] Atq; interpretes iuris docent omnes, rem expeditam, & claram pro eo esse, qui habet regulam. & indubio pronunciandū secundum regulā semper, nisi exceptio clare probetur. cū id genus aliis. Et hæc ratio vna satis est, quæ probet nostram definitionem. quoniam nulla est ratio firma, quę probet diuersum. Age audiamus, vel quas alii attulerunt, vel quas afferre nos nouas possumus. Illa autem sit prima, quod vt patri fieri vis nonnunquam potest, ita & principi possit. [g] Videlicet paria horum iura esse videntur. Vel ius paternum præstet quoq;, [h] quod supra omne ius constitutum ab hominibus ait Naziāzenus alicubi, & explicaui ego in primo cap. libri 4. De nuptiis.

c *Bar. tract. de tyrann.*
d *Seneca.*
* *Cic. pro Milone.*
e *Exo. 22. Act. 23.*
f *Dec. cons. 452. 498. Ceph. 218. Decia. 3. cons. 61.*
g *l. 2. & ibi. not. de iu. & iu.*
h *Naz. ap. ad po.*

ptiis. Vt itaq;, si licet vim aliquando inferre patri,
magis liceat vim aliquando inferre prinicipi. [i] At [i] *Cic. parad. 3.*
parenti nonnunquam adimi vita sine scelere potest. quod Stoicè for- [k] *Cuia. 2. obs. 37.*
tassis Cicero: sed ideo etiã iuridicè. [k] vt illã sectã secuti
sunt maximè iurisconsulti nostri. Adimi vita potest [l] *Cic. 3. de off.*
parẽti pro salute patriæ. [l] *Patriæ salutem anteponet saluti patris.*
quod ex sua sentẽtia, & declarat latè idẽ Cicero, [m] iuris- [m] *Duar. l. 1. de pact.*
consultus summus. [n] Sed & auctor iuris, & legis lator [n] *l. 35. de relig.*
ipse sic: *Si filius patrẽ, qui ad patriã delendã venerit, occidisset, sine scele-*
re, etiam præmio afficiendum OMNES CONSTITVERVNT. [o] [o] *Bar. q. 1. nu. 13.*
Maiori affectu est diligenda patria. vt summus etiam
scribit interpres iuris. [ω] *Est*, inquit Cicero de patria, *antiquior pa-* [ω] *Cic. de Rep.*
rens, quàm is, qui, vt aiũt, creauerit. & maior ei profectò, quam parenti,
debetur gratia. Atq; hîc de tali disputat principe, qui læ-
dat rempublicã, ac deleat. [p] Et tamẽ de eo quoq; parẽte [p] *Cotta Mem.* Bannitus. *Menoch. 1. de arb. q. 96.*
idẽ tradit à plerisq; magistris iuris, qui sit tãtùm ban-
nitus, id est, exsul factus, aut in alia tali pœna propter
crimẽ longè hoc infra reipub. lęsę. Ergo is interfici pa-
ter magis possit, qui læsę reipublicę reus est. Et hoc
primũ argumentũ est. Cui respõdemus ad enunciatũ,
q; imó principi amplius debemus, q̃ patri. [q] vt exponit [q] *Bar. extr.* ad reprimendum. *Bod 6. de rep. 6. Chass. 5. cat. 24.*
antè omnes Bartolus: qui & de triplici fidelitatis spe-
cie docet: & de secũda, patri debita; de tertia, eminen-
tiore, debita principi, in terris Deo. [r] quod nomẽ etiã [r] *Io. x. Ps. 82.*
S. literę etiã adtribuũt magistratui. [s] Est iuris diuini po- [s] *Rom. 13. l. 5. de iu. & iu.*
testas principis: nõ à solis hominib. cõstituta. est iuris

naturalis gentium. Vt Nazianzeni dictum faciat hîc nihil.[t] Iure naturali (inquit noster Alciatus) nõ minus dandum magistratui est, quàm patri. Imò principi dãdum magis est, & magistratui. vt diximus,[u] & multæ iuris definitiones ostendunt. Adsumptum præterea nec semper validum, & sæpius impium est, numquam verò in quæstione concludit.[x] Nam de nece bãniti patris licita negant alii latè: & opinionem hanc negantem aiunt veriorem, & receptiorem.[y] humanã admodum, & amicam naturæ censent etiam illi; qui tamen defendere non audent ipsam, reueriti auctoritatem Bartoli contrariam. impiam verò sententiã illam Bartoli audent clamare; impietatis, & crudelitatis plenam[z] Bodinus, & Clarus. Iste, quod tali filio cẽseret ipse amputandum caput. Atque ego alia sic docui in Disputatione de patre homicida ne accusando quidem. Atq; hîc ratio etiam diuersa banniti patris, & tyrannici principis addetur: quod pater ille damnatus iam sit iudicio legitimo; princeps iste nec ductus sit in iudicium, nec iudices habeat suos ciues. Sed quod admittere omnes videntur de cæde patris, qui ad delendam patriam veniat, id nec concludit de cæde principis, nec vsquam in præsenti quęstione locũ reperiet. Vbi enim is est princeps, qui ad delẽdam patriam venit?[a] Etiam Nero defenditur. Priuatus aliquis esse possit sanè, qui in re aliena perdita regnare cupiat, quàm regnari

t *Alc. l. 1. C. de in ius vo.*

u *l. 14. ad Treb.*

x *Cep. cons. cr. 5. Clar. §.* Homicid. *Decia. 9. Pra. 15. Cou. 2. de spons. c. 7. §. 7.*

y *Rip. l.* generaliter. *de reuo. don.*

z *Bod. 1. de rep. 4.*

a *Card. encom. Nero. & Xiphil.*

regnari patriâ incolumi. at princeps eiuſmodi eſſe nō poteſt, nec fuit, qui regnū delere velit, voluerit ſuum. Adde, expedire illud patriç certè: at incertum hoc eſſe, ſi expediat eidē patriæ, vt vis principi inferatur. [b] Hoc certum, quod ex morte, vel læſione principis ſtatus patriæ totus concutitur. [c] Atque ne tyrannici quidem regni probatur perturbatio, quum ex perturbatione iſta peius ſit multitudini, quàm ex regimine tyranni. [o] Πάντων φαυλότατον, τὸ τῆς ἀκοσμίας τῶν δυνατῶν, &c. Ipſa tyrannis tolerabilis præ anarchia: etiam noſtri Theologi: Tu mihi nunc memora, ſi non ita contigit ferè ſemper, vt prioribus poſteriora ſucceſſerint deteriora. Reſpice ad omnem hiſtoriam. Quid cæſo factum eſt Cæſare? Scimus nunc, [d] quod C. Matius prudentiſſimè prænunciabat obitum eius reipublicæ nō modò fuiſſe inutilem, ſed & perniciem attuliſſe extremam: [e] imò inde euerſum ſæculum, vt verè Virgilius lamentatur. Quid factum eſt, Nerone occiſo? [f] Paucu-lis menſibus trium ſecutorum principum plus ſanguini ciuium effuſum eſt, quàm quatuordecim totis annis Neronis. Plus, inquis Cardane? Sanè plus, & plus millies. Adi ad hiſtoriam vnius Taciti. Lege illa, quæ & tragico ſcripta ſunt ſtilo: *Opus aggredior plenum variis caſibus, atrox prælijs, diſcors ſeditionibus, ipſa etiam pace ſæuum,* &c. Et ſic de aliis quoq; principibus cæſis notare poſſumus. quos viuere ſatius multo fuiſſet, & regnare, & fato cō-

[b] *Dec.conſ.* 410.

[c] *Bar de Guelf. & Gibell.*

[o] *Ariſt.* 2. *Pol.*8. *Bez.*1. *Tim.*2.

[d] *Cic.*11.*fam* 28.

[e] *Virg.*1.*Georg.*

[f] *Card. enco. Nero.*

cedere. Verùm in primo isto argumento sumus iam satis. Secundum est, quod filius quilibet accurrit, & succurrit iustè matri, quæ laceretur. & mater

a Pla. 9. de rep. patria est. * quam itaq; μητρίδα dicebant Cretes. imò omnes sic dicim⁹: Filius ciuisquilibet est. Cui nos respõdemus argumento, quod non tamen sic succurret filius matri, vt lædat, aque occidat patrem.

† Arist. 2. Rhet. † Ἔστι δ᾽ ἐν τούτῳ παραλογίσασθαι. εἰ γὰρ δικαίως ἀπέθανε, δικαίως πέπονθεν, ἀλλ᾽ ἴσως οὐχ ὑπὸ σοῦ. διὸ δεῖ σκοπεῖν χωρὶς, εἰ ἄξιος ὁ παθὼν παθεῖν, καὶ ὁ ποιήσας ποιῆσαι, &c. δίκαιόν ἐστιν ἥτις ἂν κτείνῃ πόσιν, ἀποθνήσκειν ταύτην. καὶ τῷ πατρί γε τιμωρεῖν τὸν υἱόν. συντεθέντα, οὐκέτι δίκαιον, &c.

g Pen. l. 7. C. de om. ag. de. Princeps, vt audit, ita sanè est pater. [g] Atque vt inter virum & vxorem est matrimonium carnale, inter prælatum & Ecclesiam spirituale; ita inter principem & ciuitatem est politicum. vt politè sanè sic tradunt iuris interpretes.

h Cl. Alex. hort. ad gẽt. [h] Laudant autem interpretes iuris diuini, quod Euripides, scenicus ille Philosophus, facit in Electra, reprehendi Apollinem, qui Oresti suaserit necem matris. nam etsi iustè illa quidem dederit pœnas occisi viri, non tamen has exegerit filius iustè. [i] *Patris malus vltor Orestes.* Et sic omnes, qui de facinore illo tractant. de quibus retuli in Disputatione de patre homicida.

i Ouid. 1. Eleg. 7.

k Cic. pro Sex. Ro. Am. [k] *Videtisne, quos nobis Poetæ tradiderunt, patris vlciscendi causa supplicium de matre sumpsisse, cùm præsertim Deorũ immortalium iussis, atq; oraculis id fecisse dicantur; tamen vt eos agi-*

tent

lent furiæ, neq; consistere vsquam patiātur: quod ne pii quidem sine scelere esse potuerunt. * *Facto pius, & sceleratus eodem*: Ouidius de Alcmęone, qui matrem in vindictam patris occidit. † Et Deïanira, quæ filium hortatur, se interficere matrē, quę causa mortis patris, ait quidē, hoc futurū pietatē, sed ait & scelus tamen, *Hoc erit pietas scelus.* [l] Facto pia, & impia eodem, quæ filium Meleagrum interfecit in vindictam fratrum, *Althea*, aliis sic dicta. Verùm vos, qui Orestem huc affertis: [m] qui audetis Ehud: etiam oracula afferatis deorum, iussa Dei. Hæc vobis alioqui concludit in argumento isto responsio. Ad aliam, vt in vltione consideretur non sola persona eius, qui dat pœnas, sed eius quoque, qui irrogat pœnas, videri velim, & quę tradidi de vltione victoris in libris bellicis. Atq; sic, quum ille esset etiam princeps, quem negamus reperiri, qui patriam deleret. Quod si autem cōtra hęc nostra affertur, patrię nos debere magis, quàm principi. nos id negamus primùm, [n] in quod falsò Albericus citatur à Francisco Ripa. & contra quod faciunt, quæ de principe supra patrem diximus: item de patriæ paritate, & principis. [o] Idem iudicatur de principe, quod de republica. Aut quid ni etiam altiùs iudicetur de principe, quàm de ciuitate, si ille caput est, ista corpus est? Quid etiam si patriæ teneremur magis: an ideo contra principem teneremur, cui teneamur minus? [p] Imò *si non potest alteri subueniri,*

* *Ouid. 9. Meta.*
† *Senec. Her. OEt.*
l *Sen. Thye.*
m *Iud. 3.*
n *Rip. 1. resp. 1. de accus.*
o *Ceph. cons. 58.*
p *Ambr. 3. de off. 9.*

nisi alter lædatur, commodius est alterum non iuuari, quàm grauari alterum. quæ Ambrosii verba retuli in argumento simili capite VIII. libri tertii De iure belli. Et sic ad rationem istam secundam. Tertia autem est ratio, quod tollere maledictionem de ciuitate bonum sit. atq; hęc maledictio is sit, de quo agimus, princeps malus. At hæc ratio tamen nihil in quæstione concludit. quæ est non de tollendo malo, sed de personis, quæ habent malum tollere, & quæ ciues negantur. Scilicet nequit quoduis bonum à quolibet fieri. [q] Dato autem defectu potestatis, nihil ratio alia operatur, nec iustitia etiam aperta. quod scribunt iurisperiti, & intelligunt omnes. Eius est tollere, qui posuit, Deus. [r] *Eius est nō nolle, qui potest velle.* inquit regula iuris. [s] *Quæstio papatus, quæ nunc viget,* (erat de Vrbani electione) *terminanda est per Deum solum, quia quæstio sua.* inquit interpres. [t] *Imperator iudicat facta subditorū: sua iudicat sol⁹ De⁹. Sicut de Papa dicitur. cùm sit æqualis potestas vtriusq;* inquit alter. [u] Quod verò Deus det principes malos, quis est, qui de ore Dei ipsius non audierit? [x] Etiam Ethnici audiuêre, scripsêre. At si referatur, idem & de malis omnibus dici posse: quæ tamen tolli à Deo otiosi non expectamus. Ego dixerim, datam nobis simul à Deo curationem aliorum malorum. [y] *Honora medicum, propter necessitatem enim creauit illum altissimus.* Et sic de singulis. Sed non sic de malo isto, & medico istius mali. Etiam hæc medicina imperita, quæ proponitur: adeoq; iniusta. Vno auulso malo non deficit alterum, si causa mali

[q] *Fely. c. 1. de spons.*
[r] *l. 3. de reg. iu.*
[s] *Ang. l. 83. de V. O. & C.* Si quis imp. ma.
[t] *Alb. pri. cōst Dig.*
[u] *Isa. 13. Iob. 34. Hos. 13.*
[x] *Pla. de iu.*
[y] *Eccl. 38.*

mali non auellatur.[z] *An Neronem extremum dominorum putatis? Idem crediderant, qui Tiberio, qui Caio superstites fuerunt: cùm interim intestabilior, & sæuior exortus est.* inquit Senator apud Tacitum. Deus autem quid? Vbiq; peccata causam mali clamat. Et hæc igitur mali causa tollenda est.[a] *Illud pro comperto habens, nõ posse ad perfectionem vllũ affectum sanari, manente adhuc ipsa, vnde natus est, causa.* id medici. Aut si alia est causa cur Deus det principes malos, q. a sic experiri, & probare velit, & perfectos, & laudabiles reddere bonos: tanto minus via hæc ineunda vis est: quæ manifestè contra it proposito Dei. Et de his causis malorum à Deo disputant Theologi. quos spero omnes, non factiosos, mihi nec aduersarios in disputatione ista futuros. Est verò aliorum malorum curatio alia, non sola ablatio peccatorum, causæ diuinæ. at huius quoq; mali etiam alia curatio sit. hæc tamen non est, quæ vim habet. Obsequio nostro faciamus illos malos principes amicos. Patientiâ nostrâ frangamus feritatem illorum. Prouocemus gemitibus tacitis ad alios, qui iuuare nos aliter possunt. Atque de his satis.

z Tac. 4. hist.

a Gale. 7. meth.

Sequitur autem argumentum quartum eiusdem generis.[c] quod liceat etiam inuito, & patri, & cuilibet alteri benefacere. de quo scripsi in Libris bellicis. vbi de subditis alienis defendendis tradidi, etiam nolentibus. Tradidi in Disputatione de patre homicida, vt ægrotus pater sit ad medicos adducendus, vt curetur

c Eng. cõs. 90.

d Rom. l. 1. de Syllan.

inuitusq;, & vratur, & secetur. [d] Etiam serui dominum benè vinciunt, ne ipse occidat se. Et hoc ipsum esse benè facere, si cohibeas principem à malè faciendo, quis neget? Etiam vlcisci, & punire nocentem, ipsi nocenti bonum est. quod latè doceo in Disputatione de causis pœnarum, ad necem quoque. Cæterùm & isti respondemus argumẽto, & similibus omnibus semel, esse cauendum maximè à similitudinibus. Similia enim plura valde videntur, quæ sunt dissimilia valde. [e] Καὶ γὰρ κυνὶ λύκος, ἀγριώτατον ἡμερωτάτῳ. ait Plato. [f] cum id genus pluribus, quæ tradũtur à nostris de infirmitate huius argumenti à simili. Non valet adeo infirmum argumentum in re adeo graui, qualis est, quam tractamus. Et est quoque dissimilitudo in mediis, quum nullibi valet hoc argumentum. Animus namque non curatur vi, qui manibus non tenetur, cui vis inferri non potest. Corpori benè fit inuito, animo non fit benè. Adde, neque ciuem esse eum, qui medicus hîc esse possit. Ciuis non est nunc medicus principi idoneus. imò nec idoneus est alteri vlli. Nullus ciuis potest, imò nulla ciuium multitudo potest sic mederi ciui, vel minimo. & principi poterit? Absurdum. Isthic autem oberratur ferè semper, & factũ bonum consideratur per se, persona factoris non respicitur. Et de hac persona est quæstio tamen. [g] Benè Plato medicos eiusmodi abegit de repub. sua. quod

e Pla. Soph.

f Euer. in lo. à sim.

g Plato 3. de rep.

ego

ego explicaui in disputatione De abusu mendacii. Sed & illic oberratur, quod indocta proponitur medicatio. vt ad duo hæc argumenta iam vidimus.[h]

Quinctum est autem argumentum, quod & serui resistunt domino, fugiunt à domino ad statuas, indignè habiti exuuntur dominio. ciuium autem, hominum liberorum non sit deterior, imò sit conditio lõgè melior.[i] Et ego retuli alibi, quod subditi eximuntur à iurisdictione, & potestate principis sæuientis.[k] Retuli etiam de subditis, quod afflicti ab alio, nec defensi à principe, possunt nouum sibi principem adsciscere. vt id multo magis posse videantur, si ipse princeps eos affligit.[l] quia maius hîc sit peccatum, vt nostri doctores loquuntur in committendo, quàm illic in omittendo. Et ratio item, quam retuli, quod domini, & subditorum status connexus sit, idem probat generaliter, ne quid faciat subditis contra leges princeps, vt non eadem sibi à subditis fiant. ne violentus sit subditis, vt non violenti sint subditi contra ipsum. Et hoc est argumentum istius partis potentius. Et ei tamen respondemus, quod etsi melior multo sit conditio ciuium cum principe, quam seruorum cum domino: ex hoc non sequatur propterea, vt liceat ciuib. quod seruis licet.[m] Vt enim non est deterior conditio filiorum cum patre, quàm seruorum cum domino: & illi tamen sunt obstricti magis patri, quàm serui sunt

h l.2. de his. qui su. su. item C. de La. li. to.

i Alb. 3. de iu. be. c. 9.

k Alb. 1. De iu. be. c. 23.

l Ias. l. si mora sol. ma.

m Alb. 4. De nup. c. 5.

domino. ita ciues sint etiam obstricti principi magis, n Dion. lib. 2. quàm serui domino. [n] Et vt serui faciliùs liberantur per leges Romanas laudatissimas à potestate domini, quàm filii à potestate parentis. ita liberentur iidem serui faciliùs quàm hîc ciues. Et meminerim[9], quod princeps etiam superior patri est, in hac disputat. certè par. Ratio verò obligationis maioris ciuium, quàm seruorum, illa est, de ipsis regulis naturæ adnotata in Euangelio, o Lucæ 7. quia plus debet, cui plus datur. [o] ᾧ δὲ ὀλίγον ἀφίεται, ὀλίγον ἀγαπᾷ. Ex hoc autem ita sublato fundamento etiam tollitur relatum meum de exemptione subditorum à potestate principis sæuiētis, & à potestate principis negligentis. nam huic fundamento innititur, quod est in comparatione seruorum & subditorum. Nam, ad me quod attinet, teneo illud semper, vt nolim, meas esse sententias, si quid incidenter, argumentãdo, hoc modo aliter dixerim, non ex professo, non tra- p Alc. 4. Par. 17. Ceph. cons. 113. Non. 23. 48. 204. ctando, & definiendo. [p] qui & nostrorum omnium est interpretũ, & omniũ scriptorũ sensus. Quamquam & defenditur dictum de principe negligente, & negatur facta modò illinc consecutio. Qui negligit, pro derelicto habet. Qui deserti sunt, eos ad defensorẽ aliũ ire q Castr. l. 4. de da. inf. Rip. de pe. §. medicorum. natura iubet, & ratio omnis. [q] Etiam negligentia in magistratu est grauior, quàm iniustitia admissa. At ratio de connexo statu ciuium, & principis nihil cõcludit eorum, quæ hîc dicta sunt. Confice syllogismum.

ſimum. videbis. Quid vnitius corpore hominis, & mẽbrorum eius? [r] Τὰ δὲ μέλη πάντα οὐ τὴν αὐτὴν ἔχει πρᾶξιν. Nec igitur ſunt eadem iura ſubditorum, & regis: etſi eſt huius, & illorum nexus arctiſſimus. Reſpice in quæſtionẽ præſentem. cernes, multo faciliùs à principe regnum deponi, quàm ſubditi principẽ deponant. &, de vi principis nonnulla ferenda, conſtare omnino inter omnes: quę ſubditorum nõ ſit ferenda, vt itidem inter omnes conſtat. Atq; ita ſolutum ſit argumentum, quod fortiter ſtringere videbatur. Sextum ſequens eſt infirmius. [s] quod ſicut poteſt feudatarius vi obſiſtere violento domino, imò etiam proditoriè obſiſtere poteſt: ita & ſubditus poſſit obſiſtere ſimili domino ſuo. Hoc enim argumentum tantò eſt infirmius, quanto ius feudi ligat vaſallum minus. [t] Feudum non dat domino imperium in vaſallum. eſt enim quidam contractus, quo quis alteri obligatur, non autem imperium conceditur. Quæ ſanè reſpondet argumento iſti Albericus. Alia ſubditorum, ali vaſallorum iura. Addite, quod ciuitas regi non debet minus, quàm filius patri debet. [u] Et nemo tamẽ ſani capitis (verba ſunt Iulii Clari) negabit, maiorem reuerentiam debere filiũ patri, quàm vaſallũ domino ſuo. Friuolariũ argumentũ. Septimũ habet ſpeciem maiorem. quod ab exemplis eſt laudatorũ. [x] Deficiũt

r Rom. 12.

s Rom. l. 1. de Silan.

t Alb. l. 5. C. ad le. Iu ma. Bodi. 5. de rep. vlt.

u Clar. §. Homicid.

x 2. Chr. 21.

Libnenses à Iehoramo: & laudari in Scripturis sacris videntur. Dauid autem ipse armis, virisq; muniit se contra regem suum Saulem, an non? [a] *Quid autem comitatus, quid gladij volunt? quos certè habere non liceret, si vti illis nullo pacto liceret*, &c. Sed & exempla sic plura sũt. Sic recẽs est exemplum Belgarum: quod laudatum quis dixerit à Principe ELISABETHA laudatissima: quæ eos tutata est. At huic quoque facilè respõdetur argumento. [y] Et omnibus quidem exemplis simul, non esse exemplis iudicandum, sed legibus. Ad Libnenses autem, quod aut factum ipsorum narretur tantùm, non etiã laudetur in Scripturis, vt ita Drusius meus, à me consultus, mihi super isto loco respondit. aut ea illic laudetur causa facti, quę hodie non posset laudari: vt propter religionem desertam à principe ipse deseri princeps à ciuibus possit. [z] Qua de re scripsi in Libris bellicis. Non deseruerunt Christiani apostatam Iulianum. Et illos iustè egisse censet Ambrosius, ac ius canonicum. Ratio autem diuersitatis temporum Iudaismi, & temporum nostrorum esse videtur, quòd tunc violentiùs exercebantur ista iudicialia, quàm fieri nunc oportet apud Christianos. † Audi contra auctorem apostasiæ, licèt charissimum, *Manus tua* (etiam priuati hominis) *primùm esto contra illum*, &c. In ea autem terra sic fuerit, quæ typus patriæ cælestis, nullam ferẽtis præuaricationem. Sed de re sic constat, quum res eadem

[a] *Cic. pro Mil.*

[y] *l. 13. C. de sent.*

[z] *Alb. 1. De iu. bel. 2.*

† *Deu. 13. Phi. 1. de monarch.*

eadem fieri hodie non poteſt †. Erant tum rationes iſtorum quædam ſpeciales, quæ nunc aptæ non ſint: quæ quæ illæ demum erant.* Nec eſt illud exemplum trahendum in conſequentias. quod & contra rationẽ iuris ſit. Et ita ad Libnenſes. Quos etiam vituperes, quia priuatis ſanè numquam licet deficere à principe ſuo. vt idem meus ad me reſcripſit peritiſſimè. Ego autem addo, Libnenſes,[ω] ciuitates priuatorum loco haberi. Ad Dauidem autem reſpondeo etiam nõ vno modo. Et quod nihil fecit contra principem, etſi armauit ſe. Fugit tantùm. Veneratus regem eſt. Quid facturus in neceſſitate pugnandi, Deus ſcit. Proſpexiſſet illi Deus, vt quum illum depulit à ſocietate Philiſtęorum. Proſpexit hîc, ne haberet pugnare. At Dauidis exemplum nec vrget: qui fortaſſis iſthic peccauerit, vt peccauit alibi:[a] quemadmodum & alibi ipſe notaui. Aut ſi non peccauit iſthic, idẽ ſic defendetur: quòd viuo etiam Saule poteſt Dauid cenſeri rex:[b] qui vnctus iam erat á Samuele, & à Spiritu Iehouæ. & hic ſpiritus iam deſeruerat Saulem. † Deiectum Saulem regno tum, & tyrãnum fuiſſe, ſcribit Bartolus noſter. quod & defendi fortiter poteſt. etſi ipſe Dauid pro rege eum habuiſſe ſemper videtur, fortè pro reuerentia vnctionis, & dignitatis priſtinę. Dauid erat, qui viuo Saule educebat, & reducebat Iſraëlem. Nunc igitur, qui ab exemplo Dauidis argumentantur, dent

† Nouë. diſc. 5.
* l. 16. 39. de legi.
ω l. 16. de V. s.
a Alb. 3. De iu. be. c. 19. Mart. 1. Sam. 27.
b 1. Sam. 16. & lib. 2. c. 5.
† Bar. de tyr.

Dauidem, & argumententur. alioqui ad personas dispares paritas iuris procedere nullo modo potest. Sed neque ab exemplo Belgarum iustissimo argumentũ huc iustè ducitur, si non & leges Belgicæ habentur: † quę expressè exuant principatu principem suum, qui fecerit contra leges. [b] Improbè Hotomanus absq; ista lege expressa: *Rex, qui fidem publicam subiectis datam, & iureiurando confirmatam violat, iam non rex, sed humanæ fidei, & iuris gentium expers habendus est.* Etiam nec infertur à defensione Belgarum ad causæ eorum iustitiam comprobandam. [c] Scilicet & iniustos defendere iustè possumus. quod in ipso hoc facto ELISABETHÆ magnæ ostẽdi non vno loco. Iustissima eius defensio fuit per necessitatem, vtilitatem, honestatem. Sileant mihi homines imperiti, iniusti. Octauum porrò hîc argumentum est à iure ipso defensionis concessissimo per omne ius. Audi. [d] Etiam monachus licitè armata manu resistit abbati in se sæuienti. [e] & tamen non habet monachus velle, vel nolle: sed ex abbatis *quem vice Dei supra caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit,* voluntate dependet. Verùm argumento huic resp[on]detur, quod alia est quęstio nostra, alia huius argum[en]ti de iusta defensione. Et igitur si cõcederetur defensio contra principẽ quoq;, nõ propterea & vis, & vindicatio concessa contra principem erit. Neq; contra pri-

† Bodi. 5. de rep. vlt.

[b] Hot. uill.

[c] Alb. lib. 1. de iu. be. c. 15. & 16.

[d] Dec. l. vt vim.

[e] c 27. de elect. in 6.

priuatum conceditur vindicatio: licèt conceditur defensio.[f] At neq; defensio conceditur, nisi aut necessaria aut inculpata. Et itaq; qui fugere potest (Perusinus an Florentinus fuat, nihil interest) is aliam defensionem quærere non habet. Certè fugiendum est ante omnes personas, quibus debetur reuerentia, & obedientia. Vt sic sunt doctorum nostrorum sententiæ receptiores. Hæc tamen (vt dico) defensionis quęstio alia est à nostra. Quare nec valet, si additur, quod iidē doctores tradunt, posse resisti magistratui sæpe, præsertim perpetuo. Etsi enim hoc longè sit supra commenta monachorum, & commentitiam potestatem abbatis: tamen versatur in defensione: & audit adhuc, principem non esse magistratum, sed aliquid sanè multo augustius.[g] vt Scipio frater post alios iam indicauit in libris De iurisdictione, & explicabit (spero) folio latiore in libris, quos pollicetur, De imperio principis. Ineptè cùm hîc, tū in aliis quæstionibus à magistratu ad principem argumentantur. Ineptissimè à magistratibus aliis ad principem, veluti Cæsarem.[h] qui tamen supremus omnium magistratuū sit: & in quo cōsistit summa potestas. Sūmus est superior omniū.[i] Est iudex iudicū. Innumera sunt quę sic scribunt interpretes nostri. Scribo ego argumentū nonū. quod frustra sint leges positę nostro principi,

f Dec. l. vt vim.

g Cuiac. l. 2. de orig. iu. Scip. lib. 2. de iurisd. c. 26. item, Cab. 1. disp. 7.

h Bal. C. de prec. imp. off. & in l. pe. C. de bo. quæ lib.

i Decia. 2. cons. 41.

k l.2.de orig. iu. nisi sit, qui ipsum in leges cogat.[k] *quantum est enim, ius in ciuitate esse, nisi sint, q iura regere possint?* ait lex.[ω] & Tertullian9, *Quale est, vt præcepta cõstituat, nõ executur9? vt delicta phibeat, nõ vindicaturus? pmissũ tacitè qđ sine vltione phibetur.* & alibi: *Frustra instituisset, si obseruari noluisset: & frustra obseruari voluisset, si vindicari noluisset.*[l] Cur non leges quoq; abrogent, quibus teneri dicitur princeps, si numquã futurũ sit, vt idẽ cogi in eas possit? vt est simile Romani dictum apud Liuium.[m] Leges illæ sunt sponsio inter principem, ac populum.[n] Sed vanæ sunt sponsiones, & conuentiones, quæ in voluntatem cõmittuntur alterius partis. cùm sit natura obligationum, vt inuitos adstringant. Hîc verò princeps inuitus non adstringitur: vt quidem videtur, si nulla est populi in eum vis iusta. At hoc quoq; peccat argumentum. Neque enim concludit, quod quæritur, de vi populi. † Nam si par in parem non habet imperium: quanto minus habebit inferior in superiorem? subditus in principem? Is à superiore cogetur: qui est Deus. [o] *Principes, qui superiorem non habent, plus puniuntur à Deo. Et itaq; caueant sibi ne peccent.* Cum id genus aliis, quæ nostri scribunt. Quid? verumne est, an non quod in ore est omnium, non esse principi iudicem, nisi Deum? Ergo nec sit alius, qui eum cogat.[p] Attamẽ cogi aliquo modo potest etiam à principibus aliis. vt exposui ad iura belli.[q] Cogetur à pudore. cùm iustitia sola non sit, sed & pudor, qui homines regit, & in officio continet. vt docet Plato, & imperatorum accipi-

Marginal notes:
k l.2.de orig. iu.
ω Tert.1.ad Marc. & in Scorp.
l Liu.lib.4.
m l.1.de leg.
n l.17. vbi Alc. & Duar.de V.O.
† l.4.de arb.
o Castr.l.11. C.de iudi. Alb.pri.cõst. Dig.
p Alb.lib.1. de iu.be.c.16.
q Pla. Protag.l.4.C.de legi.

tur illud, *Digna vox est maiestate regnantis, legibus se alligatũ principem profiteri,* &c. Vbi Salycetus sic, quod honor non est, sed pudor, legibus non alligari. Pudor coget. Cõscientia coget. Audi Ambrosium:[r] *Legibus non tenentur reges, tuti imperij potestate. Sed legibus absoluti, suæ tamen rei sunt conscientiæ.* An hæc quoque conscientia nihili? Sed infinita de terroribus, & laniatibus conscientiæ non recito, quæ apud omne genus scriptorum sunt. † Illos esse infernas fictas à Poëtis pœnas, Philosophi interpretant. Illi lacerant, & excarnificant pectora scelestorũ: Legãtur paucula Tyberii, relata Suetonio:[s] *Quid scribã vobis P. C.? aut quomodo scribã, aut qđ omnino nõ scribã hoc tẽpore? Dii me, deæq; pœnis perdãt, quẽ quotidie perire sentio, si scio.* Nullibi figmẽtũ in tragœdia amari⁹ leges, quàm in historia vna furiarum eius imperatoris. Adde illa Taciti, *Si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus,* &c. Dicam alios tyrannorum punitores. Riseris? At tyranni (scio) non riserint.[t] *Vindicta certè maxima in nobis sita est. Cogunt timere? Odisse rursum possumus. Iusta odia superant omne vindictæ genus.* Sic variè cogitur in leges princeps: ne solutus nimium videatur, & sit dissolutus. Quod si vi tua, ciuis, non cogitur, nullâ ordinariâ vindictâ: etiam scire potes, non vnam reperiri legem imperfectam. [u] Inter leges illa imperfecta dicitur, in qua nulla deuiantibus pœna sancitur.[x] *Si quis aduersùs ea fecisset, nihil vltra, quàm improbè factum, adiecit lex.* vt est apud Liuium. Et sic responsum est argumento: nec sequi ex eo, vt subditus possit ipse co-

r Ambr. apol. Dau. c. 10. & 16.

† Macr. 1. som. 10.

s Suet. Tyb. 67. Tac. 6. ann.

t Meursii.

u Cuia. 1. fra. Vlp. & Macr. 2. somn. vlt.

x Liu. lib. 10.

gere principem in leges: nec esse nouum, vt lex imperfecta dicatur. Superest verò decimum ab au-
y Suet. Cæs. 76. ctoritate varia. [y] De Cæsare, cuius multa egregia recitarat, hæc Suetonius: *Prægrauant tamen cætera facta, dictaq; eius: vi & abusus dominatione, & iure cæsus existimetur.* [z] Audeo &
z Virg. Æn. 8.x. Virgilii hîc notare auctoritatem: qui contra Mezentium pluries pro illius ciuibus: *Quos* IVSTVS *in hostē fert dolor.* IVSTÆ *quibus est Mezentius iræ. Ergo omnis furiis surrexit Etruria* IVSTIS. Atq; de poëtarum auctoritate, magna
a A. Vict. autem Maronis dixi ego nō vno loco. [a] Affero & illud Traiani huc, principis longè laudatissimi: qui quum præfecto prætorii (vti mos erat) insigne potestatis traderet pugionem, monuit eundem crebrò in hæc verba: *Tibi istum ad munimentum mei committo, si rectè agam: sin a-*
b Pan. c. 2. de præsumpt. *liter, in me magis,* &c. [b] Valet à facto principis argumentū. neq; dici tunc valet, exemplis iudicare non oportere. At affero etiam auctoritates Theologorum vtriusq;
c Sleid. lib. 8. sectæ. [c] Ecce sic Lutherus magnus concedit, minori magistratui licere quandoque resistere superiori. [d]
d Mart. 1. Sam. 17. Sic Martyr doctissimus probat, quod Macedonibus,
e Bez. Io. 18. Romanisq; restiterunt aliquando Iudæi: [e] Sic nobilissimus Beza adfirmat, non prohiberi pios, legibus, & auctoritate piorum magistratuum fretos sanæ religionis libertatem armis quoq; tutari posse. [f] Sic etiam
f Mola. 4. de fi. hær. ser. 5. 12. 13. in contraria secta Molanus, causas esse aliquando rebellandi. & in his, quibus euertitur publicus status,
gentes

gentes retinere ſibi ius frenandorum regum. & eſſe obligationem mutuam inter regem, & regnum: vt ſe mutuò contineant in officio: neque totam reipublicæ adminiſtrationem ſolus princeps ſuſtineat, ſed ſupremum eius gradum. Vt verò contra parentem filio, ita ſubdito contra principem detur actio. Atque ſic iſte multa.[g] Sic & Aquinas alibi, atq; in opere de regimine principum. vt in quæſtionibus illuſtribus notat Vaſquius. Et is etiam ſic nominat non neminem interpretum iuris noſtri. † Et ſic Couarruuias ſentire videtur, dum ſcribit, non poſſe principem priuari à populo, niſi lapſum in grauiſſimam tyrannidem. Et ſic auctoribus munita quoq; hæc pars eſt, hiſtoricis, poëtis, principibus, theologis, iuriſprudētibus. Et huic tamen etiam reſponderis argumento facilè. Dic ad hiſtoricum non[h] quæ Gentiles fratres ſcripsêre pro Cæſare:[i] quæ maior plurima quoque ſubuertit. & quum nec de Cæſare quæſtio eſt, at de illo enunciato, *& abuſus dominatione, & iure cæſus exiſtimetur.* De hoc iudicio quæſtio eſt, ſiue de auctoribus huius iudicii. Et dic igitur, iudicium fuiſſe inimicorum, id eſt liquidò nihili. Iudicium Suetonii fuit, & ſenatorum. quibus malè contra ducem partium aduerſarum credemus. Adi & ad Cardanum in encomio Neronis. quo libro ſanè multum teneor, & puto, plurimùm defendi Neronem iuſtè. Scilicet in

g Vaſq.1.ill. 8.

† Cou.pr.q.1.

h Alb.1. de ar. Rom.4. Scip. or. pro C.Cæſ.

i Alb.1.de ar. Rom. 11. & lib.2.c.4.

facto multa, in iure multa iustè negantur.[k] *Veritas pluribus modis infracta, odio aduersùs dominantes. Neronis res, postquam occiderat, recentibus odiis compositæ sunt.* inquit Tacitus. Sic alii defendentur principes: in quos vim facere seditiosi velint. *Quis princeps apud nos* (Cardanus ait) *regnauit è Vicecomitum, aut Sfortiadum familia, quem non aliquis ciuis noster, etiam sine causa, sed sola ambitione, ferro aggressus sit? Pauci certè.* Addit ille ad causas, SEMPER CORPORI GRAVE EST CAPVT.[l] Et tamen, si venter membris reliquis non onerosus apparuit, dicente Menenio: Καὶ ἃ δοκοῦμεν ἀτιμώτερα εἶναι τοῦ σώματος, τούτοις τιμὴν περισσοτέραν περιτίθεμεν. Cur non & caput suo honore habeamus, causa nulla est. Quod si verò aliam adhuc solutionem argumenti desideras, ecce do aliam, quod non rex ille erat, sed Cæsar. vt ipse de se respondit. Magistratus erat, siue dictator, siue consul, siue quis alius. Nec dominationis arcana, & re ipsa verissimum regnum faciunt eum in præsenti quæstione principem, sed tyrannum; & iudicium quidem iustificant supradictũ: cæterùm non concludunt in principe. Magistratus, qui dominatione abutitur, vim iustè patitur. Ergo & princeps? Negatur. Quæ ad Suetonium. Ad Virgilium breuiùs. Nescire nos, quibus regnauerit legibus ille Mezentius.[m] Thusci regem non habebant. Si Seruio credimus. Ergo iste rex fuerit veluti magistratus. Sequitur de Traiano. * Sed & est responsum, illum fuisse imperatorem, non regem. Aut etiam egerit ille,

quod

k *Tac. in prin ann. & in prin. hist.*

l *Liu. lib. 2. & 1. Cor. 12.*

m *Seru Æn. rep. 8.*

* *Bod. 1. de rep. 8.*

quod ius non erat, at potiùs relaxatio iuris principalis. Et ita laudetur. cur enim laudaretur, si rem egit nō nouam? si nihil largitus de suo est?[n] In eo autem, quod ius non fuit, potuit idem sibi, non aliis præiudicare.[o] Et itaque nec verum sit, hoc casu posse à facto principis iudicari.* *Vt, si princeps iuratus falleret, subditi contra eum arma caperent:* clausula noua, quam Papa quidam poni alicubi voluisset. Nunc veniamus ad Theologos. Quorum iudicium reiicio ego primùm veluti latum non à peritis istius iuris, non à iudicibus propriis secundæ tabulæ. Et fremant isti, quantum possunt, stat mea disputatio, quæ abiudicat Theologis eam iudicationem. At reiicio eorundem hîc iudicium, veluti latum (quod negari nequit) ab ipsis partibus, certè à partium studiosissimis. Tu credes hîc nouissimo Bellarmino? qui turbat cum subditis, turbat cum principibus omnia, vt omnes tandem faciat sub manibus, imò sub pedibus Papæ. Tertiò autem respondeo ego Theologis, moueri ipsos sine forti ratione in rem tantam: vt apparet ex his, quæ diximus, & quæ nunc dicenda supersunt. Verùm & respondeo Theologis supradictis singulis. Atque Aquinas illud non dicit: vt Vasquius respondet. Et ego addo, ridiculum esse, citare eum doctorem de regimine principis, quod opus eius doctoris non est.[p] vt docet alicubi Sigonius. Ad Lutherum respondeo, ipsum variasse in ista defi-

[n] *Not. l.* digua vox.
[o] *Dec. c.* ad hæc. *de post. præl.*
* *Bod. 5. de rep. vlt.*
[p] *Sig 17. de reg. Ita.*

nitione. vt apud Sleidanum est. [q] Doctori autem inconstànti non stari, certum nobis, & receptum est. [r] Quicquid cōtra hoc dicant alii, & Decius, posteriori esse standum sententiæ: Cephalus ei, quæ dicta sit in ætate maturiore: & alii id genus alia. de quibus in alio opere à me disputatur. Sed & fundamento vano innixa est Lutheri posterior ista opinio, quod audierit à iurisperitis, Legibus esse permissum, vt magistratus minor superiori nonnumquam resistat. quod ipse antea ignorasset. Nam quæro ego, à quibus ille id audierit. Aut si de magistratibus loquebantur, non est hoc rapiendum ad principem. Loquebātur de imperatore: qui est magistratus. Loquebātur de feudatariis: quorum alia ratio à ratione ciuiū, & principis est. Etiā de resistendo loquebatur Lutherus, non de vim faciēdo. Etiam de non parendo contra Deum. quæ alia quæstio est. & in qua nec procedit, aut verum est Lutheri dictum ibidem, quod Euangelium leges politicas nō impugnat. At ad Lutherum plus satis. Ad Martyrē aio, neq; illū satis explicare de vi, qualisnam esse iusta possit. Sed & mouetur ab exemplis vel debilibus, vel hîc minimè concludētibus. Num enim quia Iudæi Macedonibus, & Rom. inferentibus statuas sibi repugnarūt, ideo repugnarunt iidem iustè? aut nos hodie Christiani possumus principibus nostris repugnare iustè? Nec enim erant Iudæi sub Macedonum, Romano-

q Ceph. cons. 457.
r Dec. cons. 165. Ceph. 45. Bar. l. 25. de legi.

manorumve ditione ita constituti, vt nos sumus sub
eo principe, quem hîc consideramus, qui sub suis le- [s] Alb. 3. de iu. be. 2.
gibus, sub suis magistratibus cuncta regat. [s] Iudæa nō
fuit prouincia ante Vespasianū. & in re religionis sū-
mā retinebat libertatē. Bella autem, de quibus sensit
Martyr, omnia antea fuêre. Macedones etiam minus
iuris illic habuêre. vt ostēdit liber 1. Machabæorum.
Quod de isto exemplo.* Alterū Ambrosii, non cedē- * Ambr. ep. 33.
tis Valentiniano templū pro Arrianis, in quo vis fuit
nulla, ad rem nō fuerit. Etiā ausim negare, Ambrosio
ius fuisse, negare templum imperatori. [t] Sacra enim [t] Alb. 3. de iu. be. 6.
hæc sunt principis, nō episcoporum. Tanto ausim au-
dentiùs, quāto intelligo, maximū in episcopis nostris
lumen, & qui in concionibus non dominatur modò,
sed & est assiduissimus omniū, Thobiā Matthæū Du-
nelmēsem probare sententiam hanc: ad Ambrosii nō
accedere alia facta erga principē nō dignissima. Et sic
alia sunt Martyris, de non obediēdo cōtra Deum, sine
vi. Illud conclamantis populi ad arma, ꝑpter priuile-
gia sibi sublata, aut est aperte falsū, & seditiosum: aut
inducitur magis ad excitandū amorem, ac zelum re-
ligionis neglectæ præ quam alia terrena sunt. Vos
(dixerit Martyr) conclamatis ad arma, si quid terreni
vobis eripitur. pro religione autem adserenda ni-
hil tentatis. Quæ verba vim non probant. Sed & ad
Martyrem satis. Ad Bezam veró, quod si leges vllibi
sint, quibus cōfidere (*legibus freti*) possimus, certè idē nos

quoq; dicemus, & quilibet dicet audenter. Beza prudenter de legibus immiſcuit. Beza ſemper prudenter. lege eius epiſtolam ad peregrinarum Eccleſiarum in Anglia fratres: qui vim iſtam ſanè probarunt, etiam

* Bez. ep. 24. Synodo habita. *De magiſtratibus* (inquit) *inferioribus, an poſſint ſuperiori ſe opponere, ſi is ſpoliet ſubditos priuilegiis, premat tyrannide, periculoſum ſit tradere, noſtris præſertim temporibus: & ex plurimis & grauiſſimis circumſtantiis iudicandum.* Sic Beza in his partibus non eſt. quem tu omnibus illis fratribus vnum longè præferas optimè. Quid nunc Molani diſceptationi reponimus? Negamus retenta illa frena in principes. Ipſe doceat, non dicat. Quæ ſi docet, ipſi aſſentior. Doceat, mutuam obligationem inter principẽ, ac ciues hanc eſſe, vt ſe mutuò contineant in officio.

* Bod. 1. de rep. 8. *Ego audio Bodinum dicentem, eſſe abſurditates incompatibiles, vt modò princeps, modò ſit populus dominus. De filii actione in patrem, minus nihilo eſt. Hîc enim nunc de vi quæritur. quæ filioq; aduerſùs patrem negatur. Et ita etiam Molano eſt factum ſatis. Noſtris interpretibus dicam, eos de tyranno loqui conſueuiſſe: quæ differt quæſtio à noſtra. conſueuiſſe loqui de principibus tamquam ſubditis Papæ:

* Alc. c. 10. de off. ord. quæ eſt infamis poſitio. *Alciatus cenſet ſic, poſſe regem regno priuari, qui nec per ſe, nec per magiſtratũ

† Iaſ. l. 3. C. de proc. ius reddit. † Et idẽ Iaſon, atq; alii, quos idem citat, & ad quos ſe refert. Sed etſi per Papam id fieri poſſet, etiã

ne

ne possset per populum? Sed & Bartolus in ea opinione contra Alciatum est. Sed omnia nostrorum aliena hîc sunt, aut infirmissima. Adi ad Vasquiũ. Adi ad Texeram, qui electiuum docet regnum Portugalliæ. Et itaq; nostri malè illinc * per ius canonicum doceant idem de omni regno. Bellè idem meus amicus Papam vellicat. Sic autem nihil pro ista parte est: licet dictũ nonnihil est. Et altera igitur pars vera est: nec non est adeo verbosa. Dictę autẽ & rationes antea istius sunt, dum contrariis hactenus argumentis solutiones allatæ sunt. Ecce illas primùm ostendo. I. Regula tenẽda fortiter est. Sed regula est, vt principi ne maledicamus quidẽ. ergo tenendũ fortiter est, vt principi ne maledicamus quidẽ. II. Principi fieri nequit, quod nequit patri. Sed patri vis fieri nequit. Ergo principi vis fieri nequit. III. Quum sequi peius potest, si præsens quodam modo tollitur malum, præsens malum eo modo tollendum non est. Sed si per vim tollas tyrannicum principem, aut vim opponas tyrãnidi, sequitur peius. Ergo vis opponenda tyrannidi non est. IV. Si pro matre vis non infertur patri, neque pro patria vis inferetur principi. Sed non illud. ergo nec istud. V. Eius non est, tollere principem, qui non dedit principem. Sed populus non dedit principem. ergo populi nõ est tollere principem. VI. Imperita medicatio est iniusta. Sed vis imperita est medicatio mali principis. ergo vis in principẽ est iniustã.

* c.2. de sup. negl. præl. 6.

VII. Subditus, si par medico non est, non debet mederi malo principis. Sed subditus par medico non est. ergo subditus non debet mederi malo principis.

VIII. Quod bonum non est, id faciendum non est, etsi æquum est. Sed vis hæc bona non est, etsi æqua est. ergo vis hæc facienda non est. Et nouum hoc argumentum est. quod habet tamen fundatam assumptionem in dictis ad contrariũ argumentũ primum in fine. & eã fundare iterum potest in illis, quæ per os Antonii protulit Cicero:[y] *Etsi* OMNES *molestæ seditiones iustæ tamen* NONNVLLÆ, *&* PROPE *necessariæ.* Omnes sunt molestæ; iustæ nonnullæ; necessariæ nullæ. Omnes sunt molestæ. quia cum principe pessimo sit respub. aliqua: quæ nulla est, statu toto concusso, & cõmoto sub commotione principis.[z] Quod optimè cognouerũt interfectores Cõmodi, dum de morte principis, quem & fato functum persuadere volebãt, nõ ante spargendos rumores existimarunt, quàm prouisum de nouo principe foret.[a] Optimè disseruit Brutus, exacturus Superbum: vt ne quid tentaretur contra tyrannum priùs, quàm esset constitutum, quis regeret rempublicam magistratus: & idem à quo crearetur: & reipublicæ status quis esset futurus. Optimè docent illæ rationes, quæ principatum ex successione preferunt principatui ex electione. Sed nunc probemus enunciatum: quod vulgaribus mille clamoribus obuiam it, atque resistit. Æquo antistat bonũ

y Cic. 2. de orat.

z Herodia. lib. 2.

a Diony. lib. 4.

bonum. [b] Vt ſic vſucapio, ius bonum, valuit. Sic decimatio exercitus. Sic ſupplicium familiæ, occiſo domino. Ad quæ Tacitus: *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos vtilitate publica rependitur.* [d] Sic rei iudicatæ paretur, etiam iniuſtæ. [e] *Multa iure ciuili contra rationem diſputandi pro vtilitate communi recepta eſſe, innumerabilibus rebus probari poteſt.* [f] Etiam, quod nec æquum, nec iuſtum eſt, recipitur, ſi bonum eſt. vt cũ quis ſine culpa ſua, ex alterius delicto plectitur. de quo alii, & nos in diſputatione alia. Et octauum ſic eſt argumentum. IX. Etiam nonum argumentum eſt: id eſt, antea hac diſputatione non indicatum. quod ſi ſingulis aſſerimus vim iſtam licitam contra principem, ſimul ſtatuimus talem reipublicæ formam, qualem nullus hactenus nouit. Sed hoc abſurdum eſt. ergo vis iſta aſſerenda non eſt. Aut quiſquamne eſt, qui non ſtatuat abſurdum, ſtatuere rempublicam ex rege, & ſingulo regni ciue, quæ non cadit ſub vllam ſpeciem reipublicæ? Aut quiſquamne eſt, qui regem abſolutæ poteſtatis intelligat, & tot ſimul Ephoros ſibi, quot habet ille ſubiectos? Nouam rempublicam, ſed commodam. in qua rex ſit ſubiectiſſimus. ipſi ſubiecti boni timeant ſemper, ne quid REGI fiat, quod turbet omnes. ipſi ſubiecti ambitioſi nunc noua lege armati

[b] *l. 1. de vſurp.*

[c] *Tac. ann.* 14.

[d] *l. 65. ad Treb. l. 6. de exce. r. 1.*

[e] *l. 51 ad le. Aq.*

[f] *Caſt. l. 1. de iuſt.*

* Corſ. de po. reg p. 1. q. 3.

meliùs poſſint cupiditatibus ſuis operam dare. * Magna abuſio, dominam ancillari, ancillam dominari. Execrabile delictum, quando ſerui volunt, poteſtatẽ in dominum exercere, *&c.* quæ noſtri in quæſtione noſtra tradunt latè de principe tyrannicè agente. Neque ego tamen latiùs proſequor hoc argumentum.

X. Auctoritas pariter plurium hâc ſtat. Audi Platonem, & Ciceronem: [g] *Tantũ cõtendere in republica oportet, quãtum probare tuis ciuibus poſſis.* VIM *neque parenti, neque patriæ afferri oportere. Id enim Plato iubet, quem ego* VEHEMENTER *ſequor. & qui, hanc cauſam ſibi fuiſſe, ait, reipublicæ non attingendæ: quod cùm offendiſſet populum Athenienſem propè iam deſipientem ſenectute: cumque eum nec perſuadendo, nec cogendo regi poſſe vidiſſet, cùm perſuaderi poſſe diffideret,* COGI *fas eſſe nõ arbitraretur.* * Audi & Salluſtium: *Vi regere patriam, aut parentes, quamquam & poſſis, & delicta corrigas, importunum eſt.* [h] Scio, Platonem imò ſcribere, parentes cogendos, qui amiſerint mentis poteſtatem. † Et eſſe eos, qui principem tyrannicum furioſo aſſimilent. Sed vt nos principi verè furioſo curatorem damus, & vim fieri cum furioſis vſitatam: ita negamus, ſæuum hominem eſſe furioſum, aut homini ſæuo dari curatorem. Hac igitur Plato ſtat, & Cicero[i]. Hac ſtat Bartol⁹: qui docet, nullã eſſe poſſe cauſam iuſtã rebellãdi, aut reſiſtendi principi. [k] Hac ſtãt alii noſtri, quos nominat, & ſequitur Caſtaldus, & Corſetus, item Vaſquius. Et veró ſi id non licet (quod tractat Caſtaldus) contra imperatorem, minus licebit contra

reges

g Cic. 1. fam. 9.

* Salluſt Iug.

h Pla. ep. 7.

† Vind. co. ty.

i Bart. conſt. qui ſint reb.

k Caſt. de imp. q. 82. Bod. 2. de rep. 5. Corſ. d. q. 3.

reges potestatis absolutæ. Ne sibi imperator, ne imperatori alius abblandiatur de nescio qua eius excelsẽti potestate: cuius sane est minor, quàm alterius cuiusquam regis. Inepta disputatio, an de iure reperiantur alii extra imperatorem, & Papam, qui superiorem non recognoscant. ineptissima definitio, quæ negat.[l] & tamen magnorum interpretum ea sunt. Ineptiunt (sed sequuntur ius canonicum) in Papa: quem hîc iudicem faciunt principibus: itaq; abiudicant iudicationem populis.[m] Paulus à Castro prudẽtiùs distinguit tempora: atq; olim potuisse à populo imperatorem deponi concludit. quod ad ea facit, quæ ego de Cæsare antea respondebam. Hoc tempore quid possit populus, id indefinitum relinquit Castrensis nobis. Et nobis tamen videntur custodes hodie esse imperatoris, Septemuiri Electores, atque alii ordines imperii. Videtur & medium tempus spectandum, quũ arcanis omnibus dominationis omissis imperatores omni modo erant reges. Atq; de his satis. Addo Theologos hîc.[n] veteres Theologos, quos cito in Disputationibus bellicis.[o] nouos Theologos, quos plures dicit Franciscus Ripa, & in his etiam concilium Constantiense.[p] Qui autem contrarium volunt, isti de tyranno loquuntur & Theologi, & iurisperiti: in quibus Aquinas, & Decianus. Addo Theologis Bezam iterum, cuius hæc sunt aurea verba:[q] *Aliud est, magistratui*

[l] *Imo. l. 3. de his, quæ in te. del. Io. And. c. 2. de imm. eccl.*

[m] *Castr. l. 7. de legi. l. 1. de const.*

[n] *Alb. lib. 1. de iu. be. c. 2.*

[o] *Rip. c. 5. de rescr.*

[p] *Decia. 7. pr. 5. Cons. d. q. 3.*

[q] *Bez. Rom 13.*

impia præcipienti, vel iniqua etiam per ſubiectos exequi volenti, non obſequi: aliud, ſuo magiſtratui vim intentare. Nam illud quidem nobis faciendum eſt, iſtud verò nefas eſt. Vim tamen magiſtratui non infert, qui tyrannidi manifeſtæ oppoſita, & PVBLICA auctoritate cuiuſq; ciuilis STATVS ſancita remedia, ſanctè, & neceſſariò vſurpat. Cæterùm qui Origenem legerit in hunc locum, comperiet hinc quoq; Anabaptiſtas ſui furoris principia hauſiſſe; aut illum certè iiſdem furiis olim fuiſſe agitatum, quibus hodie Anabaptiſtæ. Si publicæ leges ſtatus vim permittant, eo ſolo caſu vim probat Beza. Aliâs accuſat veluti furioſam, & Anabaptiſticam. Abeant potiùs magiſtratu, ſi magiſtratus ſunt, & patriâ abeant, quàm vt per arma reſiſtant principibus. Sic Beza. Tu, mihi alibi dictum, adde hîc, omnes, etiam ſummos magiſtratus reſpectu principis cenſeri priuatos. Sic Franciſcus Iunius: *Omnes iniurias à magiſtratu ſuo potiùs ferunt boni, quamuis atrociſſimas, quàm vt in eum inuehant ſermone, ſcripto, opere, ad ordinis, & pacis publicæ perturbationem.* Quid homines calumniantur Caluiniſtas? † Et Caluinus hâc ſtat, & ſtant noſtri primores, vt docet Bodinus veriſſimè: & idem diſputat nobis latiſſimè. Calumnia in no[illegible] certior, quàm in Philoſophos olim fuerit.[s] quos defendit Seneca.[t] At huc adde tu Cartuuritum: qui ſcribit, omnẽ hîc præciſam eſſe occaſionem, dum ait Eccleſiaſtes, *Vbicunq; verbum regis eſt, ibi dominatio ecquis dicat ei quid facis?* Et ſanè, ſi Eccleſiaſtes non docet, non aduerſandum regi, quia ille potẽtior eſt, * ἐπεὶ πλεόνεσσιν ἀνάσσει, hoc doc[illegible]t, non aduerſandũ, quia

r F. Iu. de trans. imp. lib. 1. c. 2. vers. 49.

† Bod. 2. de rep. 5.

s Sen. ep. 74.

t Cart. eccl. 8.

* Hom. Ilia. 1.

quia ius non ſit. Quæ à verbo Dei ratio potentiſſima hîc repetita Paulo in epiſtola ad Romanos: Διὸ ἀνάγ-κη ὑποτάσσεσθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν. [u] Huc addatur vir nobiliſſimus, qui tractat quæſtionem hanc latè, dominus *de la Nouë.* & hic ſcribit, obtemperandum fuiſſe Pharaoni: qui Ebræorum bona rapiebat, qui corpora conſumebat. Scribit, obtemperandum fuiſſe Tiberio, Caligulæ, Neroni, tyrannis exſecrabilibus. ſcribit, diſplicere quidem Deo immensùm, quod libido, & furor hominum facit à Diabolis calefactus: cęterùm aboleri hinc nihil de ea ſubiectione, quæ ſuperioritatibus debetur. Scribit, humiliter nos eſſe oportere etiam in medio confuſionum horribilium, & in Deum reſpicere. Scribit, per Philoſophorum quidem pręcepta, & vetera Romanorum inſtituta, atque Græcorum dari longè amplius ius populis vindicandi ſe aduersùm tyrannidem: at Chriſtianos patientiores eſſe debere. nam qui tolerantiam adeo vehem[illegible] iubet Deus, promittit is ſimul, oportunè ſe prouiſurum miſeris, & calamit[illegible]s. Scribit ſic plura. Scribit, fuiſſe ſemper magnam populorum felicitatem, ſi quarta regum omnium pars fuerit virtutem ſecuta. Et tu igitur vim prob[illegible]is in reliquos? & rempublicam vexabis omni fere t[illegible]pore? [x] Nam alius, etiam in vno anulo bonos prin[illegible] perſcribi, atq; depingi. Quod ſi mihi

[u] *Nouë. diſcur. 10.*

[x] *Vopiſ. Aurel.*

reſpondeatur, non de vi in quemlibet malum hîc agi, ſed in eum, qui reus ſit læſæ reipublicæ. ego referam, reſponſioni iſti ſupra reſponſum eſſe: dum cædes plurium non eſſe læſio reipub. dicta eſt: dum Nero quoq; defenſus eſt: dum princeps eiuſmodi, Nerone tetrior, non inueniendus eſt. Ego ſcio, qui illi fuerint principes noſtro tempore, in quos cuſi libelli ſunt de vi iſta legitima, ac iuſta. Et verò improbiſſimi fuerunt principes: ſed qui nullo modo illam impleuerint mẽſuram, cui vis foret reſoluẽda. Notãdam (vt pro certo credebatur) Huralti Hoſpitalii ſententiam: quemadmodum ſanctæ illius Gallicæ coniurationis factio eſſet potentior, Hugonottorum defenſio neceſſaria, ſed regis cauſa iuſta. ſcilicet peccare coniuratos, & Hugonottos, qui arma in regem commouerint, aut cõtra iuſſum regis: etſi Hugonottos tãto minus, quã-to neceſſitas tuendæ vitæ excuſatior eſſet cupidine regnandi illorum. Iuſta illius regis cauſa. cuius regis? Iniuſta cauſa Hugonottorum, quæ vim faceret regi. bone Deus, quàm bona cauſa tamen! Sed nulla cauſa iuſta eius vis eſt. At finem iſti di[illegible]tationi faciamus. Eſt Scipionis Ammir[illegible]i in Tacitum diſputatio decima, eadem meæ. Eſt alia Regis.

FINIS.

e.
agi,
ram,
plu-
uoq;
rior,
prin-
e vii-
erunt
t mē-
certo
mad-
tio ef-
ſſaria,
tos, &
t, aut
s,quā-
pidine
regis?
er regi.
nulla
ati-
a